Athenæ Britannicæ.

PALLAS ANGLICANA.

SIVE

Politioris Humani Generis

Scientifico-Characteriſtico-Harmoniaca Subordinatio, ceu, Religioſo-Politico-Literaria *Concordia*, cum & in Heptarchiâ Artium, Scientiarum, & Regiminum Encyclopædiacè concatenatâ, Paradiſum Animorum perdito-recuperatum, Omnimodamquè felicitatem Humanam & Commercium Quàm Anglicó-Chriſtianè tam Antiquo-Eruditè Exhibente.

Drama Ethico-Politico-Epiſtemicum.

Tam Varietate Styli quàm materiæ ubiq; regnante. In Uſum Juventutis & Scholarum. Ad Latinam Linguam, paucorum Menſium Spatio, percallendam, Juxta generoſam cujuſque applicationem & facultatem.

Hic numeros miſcet dubiâ fide ludicra Muſa,
Infringens, ſpargenſque ſonos: & carmen abortit
Inciſum, revocatque: Jocoſi jurgia nervi
Componit: dein tota reciprocat: lctaque plectri
Chorda tremit rapido ſub verbere: Jamque remiſſo
Sobria Muſa magis percurrit pectine fila.
Sic fovet alternis & terret amabile Numen,
Terroremque Amor, & terror moderatur Amorem.

Athen. Brit. Vol. V. p. 101.

Ita, ut tam erret qui Omnia, quàm qui Nihil in iſtâ Scriptione exiget ad rerum geſtarum Veritatem. *Athen. Brit.* Vol. I. p. 69. *Præf.*

Regard not Learning, if't be old or new,
But blame the falſe, and value ſtill the true,
Some judge of Authors Names, not Works, and then
Nor praiſe, nor damn the Writings, but the Men. Pope's Eſſay.

PARS V.

Auctore *Myles Davies* Conſiliario ad Legem Anglicanam advocato & ſubſerviente, Armigero, nuper de Trerabbat in Com. Flint. Eodem nempe Auctore, quatuor Voluminum, dictorum pariter, Athenæ Britannicæ, nuper Editorum *Londini*, in 8vo. & 4to. Anglice ut plurimum Scriptorum.

At Mrs. *Walker*'s in *Eagle-Street*, over againſt *Fiſher*'s Court, near *Red-Lyon-Square.*

B L

ERRATA.

PAG. 7. lin. 17. Verb. 3. lege, Nauſeam. & ibid. lin. 30. Verb. ult. lege, nunc. p. 8. l. 2. v. 4. immiſcuimus. p. 12. l. 16. v. 3. artificis. p. 14. l. 22. v. ult. plectra. p. 15. l. 26. v. 1. argutis. ibid. l. 31. v. 5. currite p. 16. l. 16. ſupra dicti. p. 17. l. 7. v. 1. pinniferi. p. 18. l. 3. v. 5. reſpice. p. 18. l. 6. v. 4. demens. p. 27. l. 24. v. ult.—vâ. ibid. l. 29. v. ult. nodum. p. 65. vel. 66. l. 26. v. 3. ſang. p. 18. l. 25. v. 3. ſapiunt. p. 32. l. 33. v. 3. Dryadum. p. 29. l. 18. v. 1. Mel. ibid. l. 21. v. 5 —na. p. 44. l. 29. v. 5. con— p. 47. l. 17. Exurge. p. 64 l. 14. v. 3. dignior. ibid. l. 26. v. 5.—les. p. 65. vel. 66. l. 31. Igni. p. 110. l. penult. v. 4. ling.—p. 112. l. 5. v. 1. Ipſe. p. 114. l. 31. v. 4. —tus. p 19. l. 12. v. 4. hæſuros. ibid. l. 23. v. 3. confuſionem. p. 20. l. 14. v. 2. fugiens. p. 21. l. 18. v. 2. iter. p. 22. l. 6. v. 2. integritas. p. 23. l. 15. v. 7. inducit. ibid. l. 16. Georgiadûm. p. 25. l. 3. v. 3. vernali. ibid. l. 7. v. 6 inſtruat. p. 27. l. 5. v. 4. quædam. p. 34. l. 19. v. 1. Erumpit. p. 39. l. ult. v. 2. Cytharam. p. 42. l. 28. v. ult. aureo. p. 46. l. 20. v. 5. verſûs. p. 51. l. 23. v. 3. cunctis. ibid. 21. v. 2. con. ibid. l. 19. v. 4. tem. p. 53. l. 8. v. 1. Oebalijs. ibid. l. 9. u. 2. nempe. ibid. p. 53. l. 31. penult. v. ult. Agapides. p. 54. l. 32. antepenult. v. ult. ratis. p. 55. l. 17. v. 3. accipiens. p. 56. l. 33. penult. v. ult. dolor. p. 58. l. 4. v. 2. gemmis. ibid. l. 12. v. 3. virus. p. 59. l. 34. antepenult. v. ult. umbras. p. 60. l. 8. v. 4. offendiſſe. ibid. l. 19. v. ult. juvat. ibid. l. 21. v. 3. priſtini. ibid. l. 31. v. 4. hactenus. p. 61. l. 3. v. ult. chlamys. ibid. l. 18. v. 1. libertatis. p. 66. l. 5. v. 1. Longamq; p. 112. l. 20. v. 3. cernam. poſt pag. 62. corrige Errores in Numero paginarum. p. 70. vel. 71. l. 28. v. 5. Clypeo. p. 73. l. 1. v. 2. elegantiâ. p. 94. l. 13. v. ult. Scelus. p. 114. l. 26. v. 2. longè. p. 115. l. 15. v. ult. corpus. p. 116. l. ult. v. 6. Spirat. p. 117. l. 4. v. 3. tendam. *&c.* *Adde in Pag.* 79. *lin.* 18. *immediatè poſt verbum*, *Univerſorum*, *ita tamen ut* Torquis *immortali Calydoræ memoriæ ſive cultui congruo ceu anagogico*, *conſecraretur.*

A benigno Lectore cætera vel corrigantur vel excuſentur.

Atqui de cæteris Proſodiæ alterius & pedum certe diverſorum, *atq; annorum meorum* Erratis, *quæ tribunali alteri ſiſtenda ſunt* (Eccles. 12. 14.) *Miſericordem meum Judicem* (Job 9. 15.) *deprecabor ſic: Erravi ſicut ovis* (Pſalm 119. 176.) *quæ perijt: Et tu quidem greſſus meos dinumeraſti* (Job 14. 16.) *ſed parce peccatis meis*, Amen.

LECTORI CANDIDO

MUSA AUTHORIS.

STUDII & Concordiæ Votum offert tibi, è contubernio Poetarum meorum unus, ab animi integritate candidum illud quidem ſed à doni impræviſi & incogniti hoſpitis ſenſu, rubore multo ſuffuſum. *Concordiæ*, quod offertur, Studii Votum eſt. In hortum Arcanum irrepere auſus decerptum è *ligno Vitæ*, fruticem Concordiæ, & Unionis ſeu Pacis fructum in Chartas ſuas tranſtulit. Irrigavit, quantum licuit, petito laticè è fonte meo. In conſpectum tibi non auſus ſe dare fluctuabat diu, & Cogitationum variarum æſtu in utramq; partem agitatus, modo erigebatur in ſpem, in metum modo revolvebatur. Apolline inconſulto ne quid fieret, omitteretque illud ſolenne noſtrum, erat ab Oraculo petenda Cautio. Facere illi porrò neceſſe habebat. Sed ab Hoſtijs lautioribus, ſeu Clitumni paſcuis vendicabat Excuſatio fortunæ modicæ. Accidere demum ad aures viſa reſponſi Vox ejuſmodi: *In hoc & ſuſpicio priſcorum Poematis omninò parem ſubactæ dictionis ἐμφασιν, altiſſima ſenſa, numeros, acrimoniam; & modeſtiam unà cum fidelitate (omni arreptâ occaſione) in Regem, indefatigatâ, & quidem publico ſumptu remunerari dignâ, amplector: Omnia licet in Auctore animadvertere reconditæ eruditionis plena; in quo Tyrones nihil præter literas, hoc eſt, elementa cognoſcant: Veterani vero nihil niſi maximè literatum inveniant & admirentur. Tam verſicolore rerum ornatu opus ſuum contexit, ut quod in alijs ſparſim & agrè offenderes, hic primo intuitu deprehendas. Sanguinem nimirum & Medullam Vatum jure optimo vocem. Styli enim varietate ubere feliciter adeo ſe ſe expreſſit, ut hâc in re abunde ſatis factum mihi ſit, omnique ingenuo eſſe debeat, & Scienti (cum C. Petronio libet ſic loqui) per univerſa Po-*

etarum tormenta præcipitari Scribentis Spiritum, oportere, antequam operi ſuſcepto pro meritis reſpondeat. Obſcuritatem autem ex frequentibus allegorijs, Catachreſibus, dictionibus ſedulo requiſitis, & hujuſmodi Poematum luminibus ortam, ſi quis fortè incuſet, næ ille potius infantiam & inſcitiam ſuam prodat, quàm Autoris ineptiam arguat. Lectores vero gratias ingentes habere, ſi poſſent, etiam referre, deberent, quibus Opus digniſſimum lectu, evolvendi anſa contigerit; Cujus è Lectione quantum proficere omnes poſſint, tum res antiquas memorando, tum novas addiſcendo, malim ex ſuâ quiſque experientiâ intelligat, quàm ex quovis Oraculo audiat. Diſceſſit enim verò lætus à Tripode. Sed quoniam involvere ſe Oraculum obſcuris ſolet, ſuſpecta continuo de Cortinæ involucro aliquo ſententia fuit. Itaque niſi calore foveatur Benevolentia tuæ, quàm timet ne alienâ invidiâ & Soli jejunitate protinus intereat hic ſuus recens Concordiæ inoculatæ frutex laborq;! Deponit igitur in manus tuas hos qualeſcunq; conatus ſuos; quos ſi lectione & vultu, quo cætera ſoles, dignabere, Vitalitatis & Utilitatis ut aliquâ parte animentur etiam ipſi, ſperat fore. Valebis igitur, & valere verecundum, & inopem Poetam meum jubebis, & ſalvebis à meo Parnaſſo.

Monita quædam, ſive Cautiones, Latinæ Linguæ Candidatis & Patronis.

I. Ut nemo temere me arbitretur, aut judicet, niſi Sermonis Latij bene peritus: Nam qui leviter tantum (jam ante denuncio) potiſſimam non capiet Scripti hujus partem.

II. Ut nemo, niſi qui rerum etiam peritus: Non tu aliquis è plebe: Non tu etiam liberalior aliqua Juventus: Nam etſi capere hæc poteſtis, non poteſtis judicare. Ad plebem me vocas? Abnuo; & teſtor me plebi nihil Scripſiſſe. Nunquam volui populo placere; quæ ego ſcio, non probat populus; quæ probat populus, ego neſcio, inquit Tacitus. Hæc etiam à me, *Præfiſcine* dicta ſunto.

III. Apertè, fateor; nec tamen Nominatim. Cur autem non liceat? peſtes & vitia hominum detegi, ex uſu hominum eſt; etſi non apertè ipſos. Vide ſis *Athen. Britan.* Vol. 1. Præfat. p. 69. *ad* 72. Vol. 2. Ad Lector. p. 1, 2, 3, 4, 5. 24. 39. 46. Vol. 3. p. 15. &c.

IV.

IV. *A little Learning is a dangerous thing,*
Drink deep, or, taſte not the Pierian Spring.
There ſhallow draughts intoxicate the Brain,
But drinking largely ſobers us again.
While from the bounded level of our mind,
Short views we take, nor ſee the lengths behind.
Pope on Criticiſm.

V. Multò pluresLiteratos Authores retuleris,aut ſpretos, aut,quod pejus eſt,violatos,ut his queſtibus meis æquitas ſua conſtet. Culpa autem interdum eſt Principum, cùm moneri non volunt timent ve Eruditionem ; interdum illorum qui Principibus adſunt, ſi natura Barbaros fecit, aut incurioſos felicitas, aut fortuna ſuperbos. Accedit, quod Magnatum multi decedere aliquid ſibi credunt, cùm quis extra ſe ſuoſvè de Regiâ plenior abit. Sic neglecta Literarum & Literatorum familia, diſpenſant animum Principis, interdum neſcientis, per ſuam Clientelam. Longè aliud facturi, ſi candide Dominum amarent, immò medius fidius, ſi ſe ipſos ſapienter. Nam quid illuſtrius, quàm publico ſumptu Homines doctos ad ornatum ſeculi editos, in Clientes ſibi, parare ? dubitaturos certe, an Principi plus debeant, an illis, per quos ad hæc bona producti ſunt ? Ridere mehercule ſolet ſapientiſſimus quiſque, illorum inſaniam & cæcitatem,qui non curant àLiteris eam laudem impetrare, quæ eorum voluptatibus opibuſquè ſuperſtes ſit ; & quam niſi avidè ambientibus concedi non oportet.

VI. Ut Eruditi non placent, qui pretio conducuntur, ut extollant immerentes, ita æquiſſimos puto, qui non dignantur ſuis præconijs faſtidioſam ſuperbamque Fortunam, aut denique ignaram, quantum ſibi literarum favore præſtetur. Quod ſi ejuſmodi Apum mella non placent, ſaltem non ſunt excitandi aculei injuriâ vel contemptu. Unus enim ſive literarum ſive ſcientiarum peritus, quàm ſæpè privatam injuriam publicè ultus eſt, quàm ſæpè unus Doctus vicit, unus Literatus partes inclinavit ? Ejuſmodi capititibus ſolent populi plures inſtar hoſtiarum mactari. Conſule, *Athen. Britan.* ubi ſupr. ad Lect. p. xxiv.Vol. 2.

VII.

VII. Nunc licet, ita perverſam rationem fortuna inſtituere videatur, ut in multis Gentibus propè ſit ad Ingenioſi & Eruditi animi indicium, arceri à Regijs Principum, vel repelli à Palatijs Magnatum & detrudi ab ædibus Divitum. Adeo timida aut barbara *Felicium* vitia amant exarmare ſapientiam ac eruditionem; quaſi ea potiores futuri ſint, ſi Egenam aut neglectam Literarum rationem ſuperbi calcaverint. Quid tamen apud præſentes & poſteros valeant, etiam qui ſolis libris nati eſſe videantur, cùm ex ira vel favore dividunt Mortalibus famam, cùm ſuos Amatores præjudicijs Sectiſquè imbuunt, ſi quis neſcire vult, dignus eſt malo omine experiri.

VIII. Fac autem ipſe Princeps aut Dives Patronus non amet Librorum vel Eruditorum Conſortia; *Non in theſauris Sola reponimus, quæ ingenerato affectu grata ſunt nobis, ſed prætereà quæ pretio ſuo merent.* Sed nec anguſte habitant Principes, Magnates, vel Divites, ut ſiejuſmodi librorum vel Eruditorum colloquia faſtidiunt, aut verentur, *Non poſſint tanquam abſentem & reconditam Penum habere.*

IX. Curas autem objicis Principum, vel Magnatum vel Divitum? quaſi non præcipua eſſe debeat, ſecum viros habere, quos non adeo crebros ætas hæc protulit, ut damnes neſcio cujus Lucernam in frequenti foro Unum ſaltem quærentis. Eruditorum enim præcipui adeò eminent, ut niſi imperitos non lateant raræ hæ faces, & ſæpe in orbe ſuis Muſis pauciores. At ſumptum Principes, vel Magnates vel Divites non ferrent. O ſollicitæ prudentiæ mentes! Ergo parce Aucupium aut ædificia procurari, ſtabula tanquam in Sybaritano exercitu ſaltatoriis equis non fervere, aut non reparari jacturam, ſi de venaticis canibus unum cervus perculerit: Hæc, inquam, non ad uſum aut voluptatem Principum. Magnatum, vel Divitum, magis, quàm in ſpecimen Magnificentiæ, omitti, nefas ducunt: Tantum auri profundi, tot viliſſimos homines de ærario vivere, placet: Sed demum eſt grave haberi magnorum Authorum delectum: hic parſimonia in memoriam redit, hic ærarium deficit; immo herculè, bona mens; quam tibi, Candide Lector, exopto,

MYLES DAVIES.

Pallas Anglicana

SIVE

HEPTARCHIA

Artium & Scientiarum.

Drama.

ARGUMENTUM.

ALbionopolis, civitas est, vulgò *Athenæ Britannicæ*, in Musocratiæ finibus posita. In hâc, ex Barbariâ profecti Advenæ, ducibus *Arte Magicâ* & *Discordiâ*, Civium fidem tentabant, ut ipsi scilicet Civitate donarentur, Civiumq; *albo* adscriberentur; turbis interea omnia commiscentes, Calydoræq; civitatis Præsidis suo dudum furori immolatæ, omni arreptâ occasione, memoriæ & institutis insultantes, incognitò verò ubiq; & subdolè degentes, passim fallebant pro amicis & ingenuis Civibus: ita ut Discordiæ malo inter civium præcipuos, liberalibus nempe artibus & Scientijs excultiores, vafrè immisso, & *antiquum suum* obtinente, ipsæ liberales *Artes* & *Scientiæ* (nimirum Cives *Personnatæ*) in civile seu domesticum exarsere *Dissidium*. Quod non ferens *Genius* Topologico-hydrographus, rem seriemq; *simultatum*, *Palladi* sive Irenasti (Regio nempe ceu Supremo Regimini) aperit: illa, pro suâ sapientiâ, omnes ex Civium

vium animis Diſſidij radices funditùs evellens, ipſorumq; lites & altercationes amicè dirimens & componens, *Artem Magicam* & *Diſcordiam*, cum ſuâ maleferiatâ progenie conquiri jubet, inventaſq; exilio damnat ſempiterno. Unde Civium Gratulationes, ſuam fidem ſibi mutuò Irenaſtiq; Obligantium.

Calendis Maij, Exhibetur, ſive in *Scenam* datur Albionopoli vel Athenis Britannicis ceu Irenapoli ab Academicis Coſmopolitanis: in *Stylum* datur à Scholimorrhodiæ ſtudioſo, & in typos datur à Muſophilo Britanno.

Dramatis Perſonæ.

1. Genius Authoris Georgium Magnæ Britanniæ Regem tanquam præſentem propitiantis, & omnia ipſi fauſta ominantis.

2. Prologiſta & Epilogiſta, ſive *Genius* Encyclopædiæ Literariæ & omnimodæ felicitatis humanæ.

3. Tameſis, ſive *Genius* Magnæ Britanniæ, commercium ſuum ubiq; exportantis ceu communicantis.

1. Grammatica ſive *Philologia* ceu Genius Reformationis Theodidacticæ, Laico-Cænobiticæ, Aſcetico-Laicæ, Pſycandrycæ & διδασκαλικῶν.

2. Arithmetica, ſive *Mathematica* ſeu Genius Conventuum ſtudioſorum vel religioſorum Profeſſorum ἀριστοκρατικῶς. *Ariſtocraticos.*

3. Geometria, ſive *Mechanica* ſeu Genius Oeconomiæ Democraticæ & auto-cænobiticæ vel *Independentis* Exemptionis, ἐπιδημικῶς. *Epidemicè.*

Pal-

4. Pallas, ſive *Genius* Irenaſticus familiæ *regalis* cum Regimine coordinato Nomologico-toparchico.

5. Calydora, ſive *Genius* mutuæ *Concordiæ* Chriſtianæ, uſq; & ubiq; Martyrio immolatæ.

6. Cives Irenapolitani ceu Characteriſticæ melioris ſæculi perſonæ præludentes Dramati, viz. Ludonomus, Eutropius, Euprepius, Spoudaſtes, Symmetrius, Muſophilus, Philaretus, Neophytus, Theophilus, Polarcha, Satrapas, & Cleobulus, necnon Agapides, & Theocataſtrophus.

7. Ars Magica, ſive *Genius* Jeſuitiſmi, Ambitionis, Superſtitionis & Perſecutionis.

8. Artis Magicæ *Sodales*, viz. Jeſuita, Romano-ſacrificulus, Dominicanus, Auſtinianus, Crucigeranus, Monachus,

4. Dialectica, ſive *Philoſophia*, quaſi Genius Rudimentarius Elementariarum *Sectarum*, diſſectarum, & inſectarum vel *intinctarum*.

5. Aſtrologia, ſive *Medicina*, veluti Genius Somandrorum, Paradoxorum, Schiomachorum & Proſcommaticorum, ἀνορχοντων. Anorcontωn.

6. Muſica, ſive *Theologia* (Harmoniaco-practica & infimo-comprehenſiva) tanquam Genius Zelotopiæ Oecumenicæ in cultum Theologicum ceu Reformatum generatim ſumptum.

7. Rhetorica, ſive *Eloquentia* ceu *Juriſprudentia* (*Politico*-nomologica) velut Genius *Monarchicus* Zelotopiæ cultûs Toparchici ceu Nationalis.

8. Advenæ, ſive *Diſcordiæ* Comites, viz. Aneumetritus, ſive *Immodeſtia*; Ameles ſive *Negligentia*; Gloſſalgus, ſive

chus, Carmelita, Franciſcanus, Fanatico-Miniſtellus, Capucinus, Hæreticus, Schiſmaticus, & Sectarius.

9. Diſcordia, ſive Irreligio Atheiſtica, ſeu Genius Infidelium Arianizantium, & Adiophororum Socinianizantium, & Scepticorum Romanonizantium.

10. Mutæ perſonæ, Satellites, Angeli, Aulici, Dæmones, Infernus, ubi Ars *Magica* & *Diſcordia* cum Socijs exulant & cruciantur.

ve *Garrulitas*; Gelopragmon, ſive *Joci*; Panurgus, ſive *Ineptiæ*; Theomachus, ſive in *Deum* impius; Monarchomacus, ſive, in *Regem* contumax; Anarchicus, ſive Acephalus, ſine ullo principio vel capite, vel duce vel magiſtratu; adeoq; omni *Arti Liberali* & *Scientiæ*, ſive *Moderationi*, Regularitati & Regimini *Rebellis*.

Præ-

PRÆLUDIUM totius Dramatis Seriem evolvens, ἐπιμυθικῶς.

Genius Authoris Georgio Regi, uti ſupra. Sipario poſt tergum Recitantis adducto.

SPURIUS *Carvilius* apud Stoicum, ſereniſſime Princeps, dùm æneum ac prægrandem Coloſſum fabricaret, de reliquijs limæ *ſuam* effinxit ſtatuam, eamq; ad Coloſſi pedem conſtituit. Nos Academici, qui in manibus non parvæ molis operam habemus, nobile ſcilicet ac magnificum non ſolum Latini & Graij Sermonis ædificium, verum etiam concatenatarum *Artium* & *Scientiarum* Palatium, cujus vix adhuc fundamenta jecimus, ex alio non potuimus, niſi de reliquijs temporis, tibi efformare hanc exiguam at ingentis obſequij *teſſeram*, quam modò tibi conſecramus, & ad tuos pedes deponimus. Ego verò hujus Dedicationis Prologum recito cum quodam Prologo *Pudoris*, ut *Sidonius* aiebat: ſi quidem hæc noſtra *Orcheſtra* tanto tuis tam de Europâ univerſâ quàm de Britanniâ tuâ, *meritis* eſt minor, quanto nos, non dico comprehendenda ſed ad ea vel cogitanda quidem ſumus ineptiores. Gaudent enim illa tua immortalia Trophæa iſto *Veritatis* præconio, quæ tunc ſcilicet maximè ornatur, quando omni denudatur Ornamento.

Lugebant Academici ſuis diffiſi viribus, nec audebant, quod mente conceperant, in lucem proferre, omni quippe deſtituti patrocinio: cùm ecce, divino certè favente numine, tuus nos arrexit adventus, recreavit præſentia: ſub tuis itaq; auſpicijs, quod poterimus, audemus; duplici incitati cal-

care; uno, ne tuo Regiæ benevolentiæ patrocinio diffidere videamur: Altero, ne amori debitoq; obsequio noſtro erga tam benignum ac communem omnium *Patrem*, pro noſtrâ tenuitate deeſſe traducamur. Quod profectò tam Academicorum quàm omnium aliorum maximus fuiſſet ſolæciſmus & Barbariſmus.

Patere itaq; ſereniſſime Princeps, ut ex ſterili ſtudentium horto has noſtrarum frugum *primitias* tibi offeramus, uberiores ac jucundiores olim daturi: pietas enim obligat, tempus invitat & noſtræ nos in te fidelitatis officium compellit. Offerimus *roſam*, at *Concordiæ* Martyrio coronatam & purpuratam ſanguine, qualem non ita pridem, toto ſtupente Orbe, cælo obtulit Anglia, factionibus & rebellionibus dilacerata: inter verò illius diviniores Sacrarum Victimarum primitias, primas tulerat ſacratiſſimus juxtà ac innocentiſſimus ille *Abel* Prædeceſſorum & Majorum tuorum digniſſimus *Carolus primus*. Sed ſi triſtem propterea aliquo modo Angliæ faciem, tibi tanquam *Palladi Anglicanæ* & *Palladio* noſtro *Britannico*, ob oculos proponamus, non ideo facimus ut renovemus dolorem, ſed ſperantes, *verum* aliquando futurum de te, quod magno Baſilio (ſi liceat parvis componere magna) dixit eximius Nazianzenus; quod ſicut ille, tanquam alter *Noe*, ſuam Civitatem, ſic tu facias hanc regni Anglicani *Monarchiam*, *Arcam* Salutis Eccleſiæ Anglicanæ inter ferocientes domeſticorum & externorum *Hoſtium* procellas placidiſſimè navigantem; inde totius Europæ pacem recuperaturus.

Sin minus hæ noſtræ *Primitiæ*, utpote immaturæ ac rudiores, arriſerint palato, ex duræ neceſſitatis infertili glebâ, regnante *Paupertatis* hyeme, decerptas

tas esse ne ignores. Facimus quod olim fieri solebat, juxtà illud Poetæ;

Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante Corona pedes.
Sic nos nunc inopes laudis conscendere carmen,
Principibus Sacris vilia thura damus.

Quare, Sereniſſime Rex, tibi ſit hoc *unum* ſaltem *gratum*, quod facit hominum dona vel maximè *grata* ac æſtimabilia; *ſinceritas* nimirum animiq; candor, ex quo proficiſcuntur, & cum quo offeruntur tibi, Maxime Monarcha, à tuorum Magnæ Britanniæ ſubditorum fideliſſimo, quantumvis Infimo, Myles Davies. *Exit.*

PROLOGISTA item Solus.

Sipario itidem, à terge, adducto.

SAtietas, ut dici ſolet (Auditores ſpectatiſſimi, Spectatores auritiſſimi) nauſeam parit: cùm ergò hoc loco epulis toties Literarijs, nec parcis nec illiberalibus fueritis excepti, ne nimia conviviorum frequentia faſtidium pariat, paupere vos menſâ & tenui, ut ait ille, ſalina excipiemus, ut majore deinceps appetitu ad lautiores epulas revertamini. Non male ille, qui Poeſim non tam à Coco *irritato*, quàm ab appetitu condimentarijs Cupedijs *irritando*, ortam dixerat; utpote, quæ veluti opiparæ dapes, non obſonium, vel ſicut promulſis in procœnio aut merendâ, non apparatus Saliaris, Convivis ſaginandis, ſed tanquam divini cujuſdam ſalis flos, ingenijs exacuendis Poeſis deſtinata ſit. Unicum ergo vobis aunc ferculum, Acetaria vocant, ex varijs herbis, in Elo-

quentiæ campis, collectis confectum proponemus. Nos aceti aliquid immiſcuinous, vos ſi humanitatis ſolitæ oleum addatis, ſperamus non tam inſipidum fore noſtrum ferculum, quin, ſi non cum voluptate, at ſaltem ſine nauſeà digeri poſſit. Unum vereor, ne *Lactucæ* pluſculum admiſcuerimus, quæ ſomnum fortaſſe nonnullis intempeſtivum conciliet, efficiatq, alio nobis annuatis *nutu* quàm velimus.

Uno verbo, Drama dabimus Philologicum ex Poematibus potius varijs & Orationibus,quàm ullo tragico filo vel comico contextum. Quod cùm in hoc genere ſit primum, *Sacræ Concordiæ*, non ſolùm Oratorum, Regentium & Subditorum, verùm etiam *Scientiarum* omnium & liberalium *Artium* Patronæ conſecrandum arbitrabamur. Id nunc reliquum eſt, ſpectatores oculatiſſimi, ut vos oratos velim, dum res peragitur, ſolità nobis humanitate adſitis & patientiâ. [*Exit.*

Sipario diducto, *apparet Tameſis ſive* Genius *tutelaris Albionopoleos, qui vaticinabundus felicem ejus ſtatum ſub Irenaſte ceu Pallade Ominatur.*

QUamcunq; præpotens Divorum Numen gentem, civitatem, domum tutatur, haud illa fuet, hoſtium quamvis potentium armis oppugnata. Lætare, Albionopolis ; non te Trojanum Palladium, ægiſvè Pelaſgica, aut Ancile Romuleum, Martium vè, Incolumen præſtat: Nobiliore gaudes pignore, potentiore ſecura es Numine, quàm vel ægidis vel Martis. In tuum Irenaſtes excubat prælidium : illa *Irenaſtes*, cujus olim auſpicijs ſolæciſmum Ignorantiæ & ſervitutis inſultantem, unà cum Barbariſmo morum rebellante, cæterisq; ejuſdem Concilij ſocijs, compreſſiſti. Et nunc, ne metue, ejuſdem auſpicijs, iſtorum, qui jam

jam minantur, Barbaro-rebellium ferociam coercebis: ſentient mox ſentient, quid poſſis, Irenaſtis, ſublimioris nempe Palladis, defenſa præſidio. At tu, Albionopolis, ejectis Barbaro-rebellibus, quibus olim Pacis fructibus, abundabis? quantam Georgiadùm Regum ſeriem tranſmittes in volentes omnium Poſterorum animos, obviaſq; cunctorum ſeculorum ulnas, nunquam intermorituram? cum nationibus imprimis cultioribus felix inibis commercium: & tu Latinis, Graijſq; ditaberis opibus. In te omnes vigebunt Artes, nec florentiſſimis Græcorum Gymnaſijs invidebis: in te eruditas, innumeris ditatas dotibus omnium liberalium *Artium* & *Scientiarum* conſpicaberis Academias, Stoaſq; ipſas in te doctas tranſijſſe *Athenas*, Macedonûm Victorias, Laconum ſapientiam, Romulidum fortitudinem & Auguſtorum felicitatem commigraſſe credent univerſi: non tu Heſiodos, Herodotos, Platones, Euripides, Catones, Scipiones, Brutos, Plautos, Terentios, Lucretios, venturis annis deſiderabis: ſed tuos habebis Demoſthenes, tuos Thucidides, tuos Homeros, tuos Ariſtoteles, tuos Pindaros, tuos Xenophontes, tuos Epaminandos, tuos Ariſtomenos, tuos Aratos, Sophocleſq; tuos. In te novi conſpicientur Euclides, Hypocrates, Archimedes, Vitruvij, Hortenſij, Tullij, Livij, Cæſares, Celſi, Senecæ, Phædræ, Strabones, Saluſtij, Curtij, Epicteti, Diaphanti, Pauſaniæ, Ptolmoæi, Catulli, Tibulli, Propertij, Horatij, Marones & Naſones. Quos intra templorum tuorum mænia Juſtinos Martyres, quos Irenæos, quos Clementes Alexandrinos, quos Origines, quos Euſebios, quos Athanaſios, quos Baſilios, quos Nazianzenos, quos Nyſſenos, quos Chryſoſtomos, quos Cyrillos, quos Theodoretos, quos Photios futuris ſeculis enumerabis? Quot impoſterùm *Anglicanæ Eccleſiæ* exur-

gent propugnacula, novi Minutij felices, novi Tertulliani, novi Cypriani, novi Ambroſij, novi Hillarij, novi Lactantij, novi Hieronymi, novi Auguſtini, novi Alcuini, novi Boetij, novi Caſſiodori, novæ Elizabethæ, novi Parkeri, novi Juelli, novi Uſheri, novi Waltonij, novi Hammondi, novi Cavi, novi Cumberi, novi Noriſij, novi Caroli, novæ Annæ, Gulielmi, Georgijq; novi? Multò verò magis, laudatiſſimis tuorum civium moribus celebraberis: quæ tunc erit potentiſſimorum Principum, Ducum, Magnatum dignitas? at Majeſtas! quæ Nobilium, Prætorum, Tribunorum, Judicum, Præſulumq; tuorum æquitas, integritaſq;? Quos ſuprema Legum tribunalia, & Aequitatis ſummus Cancellariatus reſonabunt PARKEROS? Quos Barones PRICÆOS eloquetur Scaccarium? Quanta Senatorum, Cleriq; Gravitas? at Moderatio! quanta fortiſſimorum Equitum & Miniſtrorum conſtantia? at fidelitas! quanta deniq; tam in plebeis quàm in patricijs & Clericis ceu Sacerdotibus tuis ad leges colendas, veteraq; tuenda *Sacra* & Inſtituta, conſenſio ac veluti Conſpiratio! O, quàm tunc in te Religionis *Reformata* cultus dilatabitur! Templorum ceu Eccleſiarum omnium terentur limina: nullum tuorum Sacrarium vacuum erit muneribus: nec quiſquam *Reformatorum* ſeſe omiſſum queretur, aut ſuos indonatos Conventus ſtare, aut honore carentes cultus. Macte igitur virtute, Albionopolis, Præſidis invictæ Palladis ceu Irenaſtis opem & auxilium implora, gentemq; expelle Barbaram & rebellem, tanta impedientem decora, tuæq; ſemper inimicam Gloriæ.

[*Exit.*

Cives

Cives Albionopolitani

SE ſe mutuò excitant ad Studium Artis Poeticæ. Ac in primis *Muſophilus* lætabundus ex abrupto vel extaſi quadam nondum eluctatâ, è *Muſis* unam, quam in ſomnio vidiſſe ſibi viſus fuerat, deſcribit coram ſuis Concivibus ceu Condiſcipulis; qui, ſua quiſq; vice, ſuccinunt, pro Genio & modulo ſuo, quo particulares characteres loquentium, & generales Studentium, Civium & Aulicorum exprimuntur.

Muſophilus, *or a True-born and True-bred Poet:*

Quam ſeſe ore tulit! talis ſua regna reviſit
  Vere novo teneris æmula Flora roſis.
Palla decens, pictumq; roſis circumdata limbum,
  Syrmate verrebat verſicolore ſolum.
Miſta roſis nitidas cingebat Laurea crines;
  Vernabat caſto plurimus ore pudor.
Fallor? an ex humero pendebat eburna ſiniſtro
  Barbitos? in dextrâ laurea virga fuit.
Lætus honos oculis; liquido vox illita melle;
  Sedit & argutis Attica Suada labris.
Ore tamen fremuit, voluitq; ſevera videri;
  Meq; his affata eſt imperioſa ſonis:
Quæ nova dementem vano ſpes impulit æſtro,
  Huc inconceſſos præcipitare gradus?
Aonium tentare nemus, ſociaſq; latebras
  Auſus es inceſto contemerare pede?
Et libare labris ſperaſti impune profanis
  Bellerophontææ nobile numen aquæ?
Non niſi ſollicito comes additur iſta labori
  Gloria, nec ſegni parta labore venit.

Fac

Fac tamen haurires laticem pleno ore Sacratum,
Inq; avidas fluerent tota fluenta fibras:
Num tua mox inter magnos celebranda Poetas
Nomina, quos implet major Apollo, forent?
Fallere: perpaucos ſubitò melioribus annis
Hauſta Aganippæis addidit unda choris.
Nunc ea nec *vis* eſt Permeſſidos enthea lymphæ;
Rarius & fontes viſit Apollo ſuos.
Nec reputes Vates, ſi quos Heliconis in umbrâ,
Corripuit ſubito vana furore quies.
Crede mihi; è ſomno Vates qui credit oriri
Somniat; ad *Muſas* nox vigilata facit.
Quare age, ſi ſacrâ tetigi tua tempora thyrſo,
Si facit ad crines laurea noſtra tuos;
Diſce puer cupido vigil indulgere labori,
Et ferre artificis tædia lenta moræ.
Dixit, & averſa in croceas evanuit auras,
Fugitq; ex oculis Collis & unda meis.
At mihi Pierij circum Præcordia fontis
Gliſcit amor, tacitam conduplicatq; ſitim.

Spoudaſtes, *a hard Student.*

Auſpicijs ſi fata meis decurrere vitam
Annuerint, & qui reliqui, componere ſoles
Sponte meâ, vacuum curis ante omnia Divæ
Luſtratumq; undis, arcanaq; ſacra ferentem
Acciperent gremio Parnaſſides: O, ubi Vatum
Excubiæ, bifido veteres in culmine ſomni?
Phæbus ubi? O, quis me reſonabilis ad juga Pindi
Ad latices Libethræos, Pimplæaq; tempe
Siſtat, ubi fotos lauri vocalibus umbris
Permeſſi rorans guttis ſopor irriget artus?

Sym-

Symmetrius, *a promiſing young Gentleman.*

Gloria, quàm nihil eſſe tui te, ſi tibi deſit
Muſa, putem! Muſæ debes, Theti; quam Vada fatis
Intinctam non eripiunt Cocytia prolem,
Eripiunt fatis Heliconia: vivere vitam
Quam rapient, dant fata: jubent revireſcere Muſæ
Plus vitæ, cinerum è cumulo, quàm fata dederunt,
Quàm rapient eadem. Meritò tibi, Muſa, tibiq;
Gloria, communes olim & communibus aris
Rerum apprima ſciens Myſtes odolevit honores.

Eutropius, *a half-read Gentleman.*

Felix Aeacides, qui carmine vivis Homeri,
Te fortaſſe aliter non tua ſciret humus.
Nec Trojæ lumen, nec cognitus eſſet Uliſſes,
Quo pacto virides torſit amore Deas.
Nec foret Aenæas, ſi nunquam Muſa Maronis
Fleviſſet doctâ, *Bella virumq;* lyrâ.
Felix quem docuit Parnaſſi Phæbus in umbrâ,
Et qui Pierio largius amne bibit:
Hâc fretus citharâ, fortis geris Herculis arma;
Et vinces factis, Herculis, ipſe tuis.
Hâc fretus, famâ magnum ſuperabis Achillem,
Fiet & Aeacidis fama ſecunda tuæ.
Diſcite Parnaſſi pedibus juga ſcandere doctis,
Et quatere Aoniâ garrula fila manu.

Euprepius, *a Genteel Man of Buſineſs.*

Paucula Mæonio meditabar ludere verſu,
Succinerem fidibus quæ, Calydora, tuis.
Arripio, longo diſtentos tempore nervos,
Filaq; ſuſpenſæ pulverulenta lyræ.

Ex-

Excutio, tendo, chordas adduco, remitto;
Exploro dubios pectine & ungue ſonos.
At ſubitò, malè compoſitis lyra diſſona chordis.
Sic mihi confuſo eſt murmure viſa loqui:
Quid teretes tentas obtuſo pollice nervos?
Illius in laudes non ſatis iſta chelys.
Nec tua ſufficiat lyra, Pindare; nec tua, Flacce;
Nec tua Properti, nevè Tibulle, tua:
Nec ſatis in laudes ejus, Citharædus Homerus;
Nec Maro ſi caneret; nec tua, Naſo, chelys.
Ipſa ſibi vates ſola eſt; ſibi ſufficit una;
Se capere una poteſt, ſolaq; ſe canere.
Nil igitur, Calydora, canam: nam digna cani te
Non poſſunt: dignè, ſi placet, ipſa canes.

Philaretus, *an Ingenious Nobleman.*

Voſq; adeo, quos Parnaſſi per amæna vireta
Ducit amor, genus Aonium, quibus imbuit ora
Caſtior Hippocrene, & largior ungula manat:
Præq; alijs vos, Muſarum quibus altius arces
Vertice conſurgunt gemino, quibus affluit undæ
Dives Iſis, doctoq; affunditur æquore Cama:
Laurigeram, tempus, Comites, exporgere frontem:
Ora probent Lymphæ: deſueta refingite plectra;
Orphea nunc Sylvæ mirentur; Ariona pontus.
Rupibus & Sylvis & ponto ſurdior auris
Veſtrâ pellicienda fide eſt: forte rebelles
Anglia dediſcet faſtus, animoſq; remittet.

Neophitus, *or an unfortunate Convert.*

Heu! nondum mare, nec venti nec ſidera conſtant:
Sed neq; tam jacet unda, quies languentis ut ipſa
Non tumeat, turbo exanimis non æquora tentet:
Dormit prora: vigil proræ an facit otia puppis?

Po-

Poſthuma triſtitiæ ſaltem hæc permiſſa voluptas,
Ut meminiſſe juvet: virgam vidiſſe fatemur
Sed placide nobis vigilem: fæcunda Pronææ
Lingua, ſed auditor ſurdus: Specioſa *Pronææ*
Forma, ſed inſpector cæcus. Tibi ſæpe videndam
Se præbet; te ſæpe docet Dea; cernis & audis.
O ſortes hominum arcanas! pars cætera nido
Implumis latet, & pronâ ſuper incubat alâ
Soli nota Pronæa ſibi, ſibi pervia ſoli.

Ludonomus (*Or, a generous learned old Gentleman*)

OMnes demum cohortatur, ut tam unanimiter quàm animosè proſequantur ſua liberalium artium & Scientiarum concatenata ſtudia, quibus poſſint eſſe ſuæ Patriæ & Religioni non ſolum ornamento, verum etiam adjumento, præſertim excolendo inviolabiliter fraternam inter ſe Concordiam, ſupremoq; Regimini fidem. Quod unicè fuſius exhibetur in totius Dramatis ſerie.

Siſte: quis incautum tulit impetus? an Dea menti
Incidit improviſo? nec hoſpita Sylva ſopori
Illa meo, nec verò illi mea concolor ætas:
Et ſolitam, ſenſi dudum, mihi Barbitos auram
Icta negat, ſolitamq; negat Lotonius aurem.
Vos quibus, articulus teres eſt, ad carmina quorum
Adrepunt lauri faciles, quibus integer ævi
Argutis micat in venis Heliconius humor,
Quos Deus ille, Deæq; ſolent audire vocatæ:
Vos citharæ decet ingenijq; intendere nervos:
Vos animæ Aoniæ fætus educite, Pæan
Conſonæ Iö, Pæan referant ad ſidera valles;
Innubeſq; dies, & candida currite ſæcla;
Secla vetus Latium informet; Præſagia Myſtes

E clivo cecinit: vocem feſtiva remittit
Pieris, aſſenſuq; antri cortina ſonoro.

Cleobulus: *Or, a grave Senator and Counſellour, Encourager of Learning*

MUſa ſapis, juris (Dramatis quæ Præſes & autor)
Non oblita, graduſq; tui: te ſceptra fovebunt
Regia, Parnaſsumq; tuum: tu ſceptra fovebis
Regia, Georgiacumq; feres ſuper æthera nomen;
Phæbo dignum illud, clivoq; bivertice toto.

Polarca: *Or, a conceited half-witted Grandee, high or low.*

PAndite Muſæ Helicona; novoq; exuberet amne
Largus Iſis, Libithrææ non diſſonus undæ,
Câſtaliuſq; alter Cama: fortunatus uterq;
Cærulei patris Ingreſſi confinia regna,
Mox campum nacti laxum magis, æquore *laudes (Georgij ſuprodicti.)*
Volvite liberiore: remotiq; incola ponti
Veſtra peregrinus canat ad modulamina Triton.
Occurret vobis ab avo Tyberinus Hetruſco,
Alpino de fonte Padus, cui carbaſa glauca
Intextus puer incendit; vagus Iſter & Albis,
Increpitanſq; Ararim Rhodanus celer; & Tagus hoſpes,
Tempora cui vinxit myrto Tarteſſia dextra;
Cornuq; aurato (feriet? jam mitior ibit)
Dives Iberus: ut audierint animabile murmur,
Plaudent, & veſtro cupient è fonte renaſci.

Satrapas:

Satrapas: *Or, a Warlike Courtier, with an ataran-dum-Shot.*

PRæcipe fata, tuaſq; Brito præſumere laudes
Ne pigeat. Portus Afri patuère, foreſq;
Venturis Abyle fatis Mauruſia pandit.
Eſt Afro tamen Afra fides: bonus Atlas
Pinnifeti acclinet juga verticis, indigitemq;
Fulturus jam nunc humeros demittere diſcat.
(*The African Pyrats lately come into Meaſures.*)
Siſto: quid hoc? oleaſine Abylææ per juga rupis,
Et pacale nemus ſuccreſcere? Pallade vernat
Maurus ager? fociamne avidus conjungere dextram,
Tranſit in Europæum Afer? *B*ritannia tangit
Prima focos, caput armigerum prætexere lino
Gaudens, & tenero verbenæ flore virentem
Per galeam cupidæ delibans oſcula gentis,
Bella manu pacemq; gerit: ſi fædera Iberus
Excutit, accingi tempus, Georgi, Hiſpanæq; Britanno
Oceanum videant fervere ſub Hercule metæ.
Georgiacum robur ſerò doliturus Iberus
(*The Spaniſh War.*)
Sentiat in Virtute Anglâ, & ſub nomine Georgi
Fati prima rudimenta. His victoria ſignis
Advolet, hæc reſonet circum Prætoria Pæan.

Theophilus: *Or, a good Clergy-Man.*

HÆc documenta ſuis *Scriptura Sacra* edit alumnis,
Ut methodo parvâ commoda magna ferant.

Fide Deo, diffide tibi, fac propria, corde
Funde preces, paucis utere, magna fuge.
Qui quid agas, dicas, mediteris, reſpce primùm,
Numnè tibi expediat, complaceatq; Deo.
Exerce aſſidue pia mente & corpore facta;
Sis populo ut demeus, ſic ſapis ipſe Deo.
Sit ſua *Spiritui* libertas ſemper, & illum
Nec perſona potens, cauſa nec ulla gravet.
Obſequium ſtudeas præſtare per omnia Regi;
Judicium Chriſto ſubijce & uſq; tuum.
Non vitia inſpicias aliena, & viſa recondas,
Sed propria accuſes & reparare velis.
Nec facili jungas tibi couſuetudine cunctos;
Spiritus & ratio quælibet ante probent.
Nulli vel minimo, quâvis ratione repugnes;
Cedere te potius quàm regravare juvet.
Multa audi, dic pauca, Lege omnia, diſce inimicis
Parcere, Majori cedere, ferre parem.
Tolle moras, mirare nihil, contemne caduca,
Diſce pati, Chriſto vivere; diſce mori.
Fac matutino, veſpertinoq; revolvas
Hæe ſtudio; & lectum dum petis, adde preces.

Agapides: *Or, a generous true Chriſtian.*

QUi ſervit Chriſto, eſt, *talis*, cui ſplendida mundi
Fercula non ſapunt aliter, quàm germina ſylvæ
Fallacis, quæ commendat ſub divite cultu
Non niſi fumus, & Arabiam mentita Mephitis.
Et ſuavem &fortem obſerves, ferrumq; docentem
Peccantes à peccato diſtinguere cauto
Vulnere, nec ſoli Nemeſi ſervire tribunal.
Intentus cælo, precibuſq; videtur, & omni
Intertextum operi cælum: Sic navita clavo
Incubat, & clavum ſolers attemperat aſtro.

Ex

Ex humili riget & ſubtemime veſtis, & auri
Diſcolor: at pretium vili ſub tegmine ſervat
Chonca rudis. Lectus tumuli memor excipit artus,
Quos *corde* aſſuevit tumulo. Quàm largus egenis
At patet ille ſinus! Heroum præconia campi
Armigeri reſonet tuba, ſideribuſq; trophæa
Invehat. Heroinum animum, in præcordia large
Pupillorum, inopumq; ſinus per dona fluentem,
Monſtrari digitis miſerorum, & dicier *hic eſt*,
An decoret minus? ad cælum præmittere nomen,
Ipſi quò non aſpirent, & vertice famæ
Aſtra ferire, quid hæſuros in pulvere manes,
Nec celſum nomen, famæ nec præpetis alam
Inde ſecuturos, quid juverit? at ſibi nomen
Et famam facit hæc pietas ſua, & aurea ſupra
Sidera, nomenq; & famam, & *talem* quoq; *totum*
Extollentq; manus *Inopum*, cæloq; locabunt:
Unde ſuos inter, miſeræq; examina turbæ,
Addictum Chriſto & *Georgio* videat Chriſticolæ vatem.

Subintrat ex improviſo Jeſuitico-Magus ſuis impijs, excidens auſis, & artibus derepente excitat tempeſtates, turbines, tonitrua, fulgura & fulmina, intentando omnimodam Mundi Cinfuſionem, licet ipſe ſimul pereat.

Magicus Jeſuita: *Or, a deſperatly reſolute Perſon deſigning the ruin of Church and State, coſt what it will, tho' he himſelf is ruin'd, or dyes for't.*

CÆleſtia ruant, perq; monſtrorum vias,
Quà ſpirat ignes Taurus, infrendet Leo,
Latrat Moloſſus, Hydra ſeptenis hiat
Faucibus, in aſtra virus exhalat Draco,

Erebi

Erebi ad profunda clauſtra Mundus decidat.
Sic inter iſtas orbis attoniti vices,
Interq; cæli buſta, terrarum rogos,
Immugiente Tartaro, fracto Polo,
Juvat perire. Stante me, mundus ſtetit,
Cadat, cadente. Tota vel nolens meum
Natura funus, mole convulsâ, gemat.
Hic nænia fragor: vaſtus hic ſummam præit
Mugitus horam: quemq; demiſſum ſtygi
Non flebit orbis, murmure invito fleat.
Sic eſt profectò: mollius nemo jacet,
Quàm qui ruinâ conditus rerum jacet.
Una morientis urna ſit Mundi Chaos.

Exit fugieus.

Theo-Cataſtrophus: *Or, the Generous Advertiſer of the final Fate of the Good and Bad.*

Laudendam videas diverſo pignore ſcenam.
Divinos, artis modicæ quæ copia cuiq; eſt,
In mentis tabulâ vultus depingimus: at quæ
Per ſenſus, & fuco aciem fallente, colores
Peniculum ducit luteos: nam ſæpius idem,
Qui ſuperis ardet feliciùs, hic quoq;, rerum
Hâc vel in illuviĕ poſitis, uſuq; paluſtri,
Obijcitur Deus, & vitam propiore ſereno
Mortalem attingit cæli nitor: hinc nova, lucis
Fulgor, & ardores in mentem gaudia vibrant.
Sed quoniam in nebulâ ſumus, & premit undiq; mentem
Peccati vapor, in luctum, pluvijq; doloris
Continuò in rorem fluimus. Sed crimina vitam
Nube premunt nullâ cæleſtem: terra receſſit:
Cum terra vapor & nubis, cum nubibus, imbres.
Sublucent rebus pariter veſtigia quædam
Numinis immiſti reliquis, umbræq; renident
Subluſtres:

Subluſtres: ſæpe in mentem ſimul emicat ardor
Stricturæq; breves, fugiens apprendere numen
Conjectrix quo mens radio queat: aſt ibi plena
Perfuſam luce interior cum numine toto
Ipſe ſubit mentem Deus O bona gaudia! Pacis
O Pacis torrens ille! O æterna voluptas!
Inde venit menti ſuppar accita voluntas,
Quodq; bonum menti alluxit complexa voluntas
Hæret in amplexu, gremioq; infuſa cupito
Illa abit in Numen, penetrabile numen in illam.
Nec linguâ ſequimur, nec mente, recondita ſenſum
Quæ fugiunt: loquimur quæ nobis obvia; norunt
Non aliud jumenta, ſuæ quàm fercula ſylvæ,
Lactucam labris ſimilem: percurrere poſſum
Quæ tango, videoq;: datæ non cætera pennæ.
Hinc ageſis, detorque oculos, oppoſtaq; cælo
Ad loca tende gradus, anima mea. Reſpice: diſpar,
Inquis, ter: ſed facturum compendia cælo.
Perge, Anima: é cælo greſſum illætabilis aulæ
Ad ſedes refer, ad regnum deforme, tenebras
Ardentes. procereſq; alios inviſere tenta;
At quibus haud ullam liceat dixiſſe ſalutem.
Perge. Ducum & ¡Comitum (Regum O Britannia felix!
Infelix eadem Regum Brittannia!) Manes
Nempe *Opulentorum* vidi, triſteſq; coronas
Elyſio funeſta ſuo quas Tartara cudunt.
E multis pauca. *His* olim ſcelerata libido
Subdidit infames ſtimulos, & fædera prima
In thalamos ardor vetitos alienus abegit.
Hiq; opibus decoxerunt: his, frigida *Spartæ*
Cura ſuæ dextram officio abſtinuit peragendo: hi
Aures pauperibus clauſerunt, viſcera egenis.
Ille quis? in terris novi: quàm funere vivo

Ilſufit

Illuſit morti? vires, animiq; ſolutâ
Nervorum cumpage fluebant, pectora languor
Obſedit, cæli ſparſitq; oblivia ſomnus:
Triſte malum, & fatale; malum, quo tetrius ullum
Non afflant animi fibris Hecateides herbæ.
Abfuit iutegritas morum *His*, vitalis imago &
Illa fides, Agapis genitrix & alumna pudicæ.
Deſidiæ *His* mentem ſtravitq; Apoplexia totam.
Languorum *His* pituita, Libidine fervida venas
Depaſcens febris & toto Phlegetonte vaporans.
Parte aliâ viden' illi oculis ut ſubijcit ignem
Irarum fervor? triſtes ut colligit *illi*
E bile attonitâ furias jecur? inde Cupido,
Et dolor, & mentis mala gaudia. Phantaſus *illi*
Se comitem jungit, curis propioribus æger
Tormentî ipſe ſui faber; irrequieſq; volutans
Terrores animo, larvis obſeptaq; & umbris.
Aris *Hi* pepigêre fidem, pactaq; rebelles
Deceſſere fide. Hos inter vidiſſe videbar
Neſcio quos Magnos homines, tituloſq; ſuperbos.
Huic ſceptrum faſtus, *Huic* inſedere coronam
Inſidiæ: ùtriſq; Ambitio crudelior *illi*
Corripuit regni faſces, & faſcibus uſa eſt.
Heroes! Heroinæ! quas mollior aula
Erudijt luxum! quàm vellent cannabe faſtus
Auguſtos, humiliq; aulam mutaſſe taberna!
Pœnarum O diræ facies; at mitte doceri.
Hoc ſatis: addi aſtris poterant: at ſera querela eſt.
O fortes ad bella manus! de morte triumphat
Sola illa at quæ palmam *Inopi* protendit amicam.
O cæli cælorum! habitant hic vota: nec ultra eſt,
Votorum quo mens ingens pomeria tendat.
Sed nunc vento omni votorum pandimus alas.
O curvum terræ quid agis pecus? Indus arenam
Obtulit.

Obtulit. Aſtra valete. Hoc Mens in pulvere ſu-
dat.
Gens, heu, quiſq; ſumus devoti ſanguinis, unâ
Ex horti malo communis culpa pependit:
Hinc labem longè trahimus, de ſtirpe parentis
Morboſi: fluxitq; parens in fata Nepotum.
Quiſquis erit minimis qui carpitur, optimus eſto.

Exit, & continuo Concentus Muſicus incipit.

ACTUS I. *Scena* I.

Muſica, ſive Harmonia Politico-Theologica deſcribit Verna Eloquentiæ Camporum ſive Nationalis Regiminis æſtiva Ornamenta & feſtiva Omina; *& ſub* Veris *& multiplicium Operarum* æſtatis *Ideâ, ad umbrantur varia hominum Officia, quibus, ſub felice Georgij Regis adminiſtratione, ludos, jocos, & Otia tam feſtiva quàm æſtiva indicit & indncit, ac aurea demum Ghorgiadûm ſecula ominatur.*

MUSICA.

FEſta vocant, lætiſq; comes Flora aurea feſtis,
Et chorus, & choreæ blandus amicus amor.
Ludit & admiſſis levis *indulgentia* frænis,
Et levat aſſueto libera colla jugo.
Intereà vigiles paulùm ſecedite curæ,
Et genitor curæ dure faceſſe labor.
Eſte procul lites & amaræ jurgia linguæ,
Miſtaq; flebilibus mæſta querela ſonis.
Dum renovat Georgius ſenium revolubilis ævi,
Et tenerum verno pingit honore ſolum.
Dum cæli juvenile decus, mundiq; juventa
Per non ingratas itq; reditq; vias:

Inq; recurrentes ſine fine revertitur ortus,
Et nunquam feſſis ſecula luſtrat equis.
Hoc jocus, hoc blandæ *tempus* facundia linguæ
Vendicat, hoc riſus & ſine felle ſales:
Hoc fauſtus genius Georgij & germana voluptas,
Hoc pellucentes Gratia picta genas.
Verq; tuo, Georgi, jam præſens aſpirat honori,
Et recreat flammâ ſplendidiore polum.
Maija novos cultus, niveoq; monilia collo
Induitur, Zephiro ceu placitura ſuo.
Lætus amor jaculis Siculâ fornace recoctis
Splendida ſanguineâ ſpicula cote terit:
Has linit Ambroſiâ, linit illas felle ſagittas,
Et renovat flammâ lucidiore faces.
Veris ut Aſſyrias latè Dea fragrat odores!
Implicat ut flavas verna corona comas!
Ut manus Eois radiat ſtellata ſmaragdis,
Et fluit in nitidos aurea palla pedes!
Quà Dea progreditur, fragrant per compita flores,
Et media placidum frondet in urbe nemus.
Quà *Ver* ingreditur, feſti per compita plauſus,
Et *nox* lætitiæ teſtis in aſtra volat:
Applauditq; Deæ ſtratis *Mare* leniter undis,
Lætaq; feſtivis ſquammea turba choris.
Plaudit ubiq; Deæ quicquid creat humidus aer,
Quicquid alit tellus, æquora quicquid alunt.
Rara procelloſæ fugiunt in vellera nubes,
Mollior arboreis ſibilat aura comis.
Purior auratis Pyrois ſplendeſcit habenis,
Phæbus & æquoreis purior exit aquis.
Herba comis, tellus nitet herbis, frondibus hortus:
Luxuriat lætum læta per arva pecus.
Carcere liber equus ſpatijs làſcivat apertis,
Jactat & undantes per fera colla jubas.
Tondit ovis pratum, petulans ſalit agnus in herbâ:
Pro niveâ taurus conjuge bella gerit.

Rup

Rupis inexeſæ frondunt dumeta capellæ;
Hædus & infirmà prælia fronte gerit,
Intereà *paſtor* vernali ſtratus in herba
Nunc ſtrepitum captat prætereuntis aquæ.
Intentuſq; ſedet liquidas *Piſcator* ad undas,
Dum tremulum fallax linea ſentit onus:
Forſan & illuſos quærit quibus inſtrurt hamos;
Explicat aut curtà retia longa manu.
Pampinus oppoſitæ complexus brachia ſylvæ,
Veſtit adoptivis robera miſta comis.
Poma nemus pingunt: meditatur vinea botros:
Proventu ſegetis dives inundat ager.
Tytirus in calathis tibi lilia, Cambria, cana,
Servat, & in calathis aurea mala ſuis.
Garrula per virides ludunt examina ramos,
Et tenui Sylvas gutture mulcet *avis*:
Hanc juvat ad nitidum pennas extendere ſolem;
Hæc querulam pleno convolat ore domum;
Hæc luteum ſuſpendit opus; fugit illa per auras,
Et liquidas alis ſtringere gaudet aquas.
Ridet ager, rident Sylvæ, micat igneus axis,
Et placidum ſternit lenior aura fretum.
Hinc procul ergo abeant cruciantes pectora curæ,
Vanaq; quærendæ ſollicitudo rei.
Pone ſupercilium, capulo vicina, ſenectus,
De tetricà rigidas excute fronte minas.
Utq; novus, poſito veteris ſqualore ſenectæ,
Pandit odoriferas fertilis annus opes,
Poſtq; pruinoſæ languentia frigora brumæ,
Rura novus veris floridioris honos:
Vos quoq, pauliſper placidos diffundite vultus,
Aſpera cum duris ponite juſſa minis.
Carpite, dum fas eſt, fugitivæ gaudia vitæ;
Credite, vos juvenes eſſe, fuiſſe ſenes.
Ut ſua magnifico diffundit præmia vultu,
Omniferos pandens *Copia* larga ſinus:

Sic vetat ignavæ reparans incommoda brumæ
Turpia ſollicitæ damna timere famis.
Pandite ſepoſitas, quas celant horrea, fruges;
Parcaq; congeſtas area fundat opes.
Nec tenebris claudat generoſum Cella Lyæum,
Quod dat arenoſo *Vaſconis* uva ſolo.
Nec tibi depromas quod acri langueſcit aceto;
Nec pigeat vitæ commoditate frui.
Vos quoq; turba, feri, puèris inviſa, magiſtri,
Qui geritis durâ lenta flagella manu;
Ponite difficiles in idonea tempora vultus;
Incutiant nullos verbera ſæva metus;
Parcite plagoſis ferulis virgæq; ſonoræ;
Nec fædet niveam puſtula rupta cutem:
Candida nec mæſtis ſuffundite fletibus ora,
Nec ſcuticæ teneras lædat habena manus.
Póſt ſua Pierijs ſuccedant otia muſis;
Largaq; Caſtalius fænera reddat ager.
Intereà Juvenes, molles celebrate choræas,
Et genium feſtis exhilerate jocis.
Læta fugent lites; ludis concedite luctus;
Pro rixà Cantus, flumine carmen eat,
Dum choreas ætas, blandi dum gratia amoris,
Libera dum fletûs gaudia tempus habet;
Carpe roſas, pariter carpas peritura liguſtra,
Et vitæ credas hæc ſimulachra tuæ.
Horriferum Boreas ſylvæ ut genialis honorem
Excutit, & canas fundit in arva nives:
Sic hyemes frontis mutabunt tempora canæ,
Contrahet & vultus arida ruga tuos.
Pendebit laxata cutis rubigine, dentes
Squallebunt, oculos inficietq; rubor.
Mellea deficiet fæcundæ gratia linguæ;
Imminet & vitæ frigida bruma tuæ.
Cum nos ergo ſinunt fata invidioſa ſenectæ,
Temporis utatur vere juventa ſuo.

Dum

Dum facit hæc aurata Georgius otia nobis,
Illius hæc ſunto prodroma regna poli.

Exit.

SCENA II.

Aſtrologia, ſive Medicinæ Genius, veluti perterrefactus, Ex abrupto,— Triſtia *quædom Inſomnia de juſticia impendente, quaſi etiamnum Semiſopitus, narrat.*

ASTROLOGIA.

HÆc ubi fortuitâ verni ſub tegminis umbrâ
Mente volutaſſem (vigil an ſopitus? utriq;
Contiguus, credo, potius, fugientibus aſtris
Certior eſſe quies, & cornea ſiſtere luci
Morphea ſincerum ſolet: atqui excedere noctem
Illa mihi viſa eſt & ſomno major imagò)
Rem præter ſolitum miram aut vidiſſe putavi
Aut certé vidi. Vicino prævia ſoli
Jam propior lux albebat; tranſcurrere cælum
Cardine nimbus ab Eoo, & Tithouide portâ
Viſus: eum maculis variabant cærula fuſcis
Vellera, ſuffuſo ferrugo rubebat ab oſtro.
Explicat inde ſinus latebroſa volumina, & amplo
Orcheſtræ in faciem laxatur fornice nubes.
Apparent *lances* geminæ; ſua pondera lances
Ambiguo librant examine; diſcolor æquat
Sed juga momentum: Sequitur, comitata catervâ
Virgineâ, formâ ante alias pulcherrima virgo:
Illi multus in ore rigor; nec læſa venuſtas:
Cui blandituros oculis miſcebat amores
Ipſe rigor. Sed nec leviter diffundere vento
Incertos dederat crines: à vertice nodum
In teretem morſu tenui collegit Iaſpis.
Liberior cyclas, modicè ſoluta, refuſos

Aura

Aura ſinus, croceoſq; hinc inde laceſſit acanthos.
Illic & veteres & ſeras Numinis iras
Et ſeriem irarum multam, pugnataq; bella
Ultoris cæli, caſuſq; ex ordine pingens
Dædala diſtinxit varios acus, æthere ſummo=
Hæc oculos ego cùm tacitus per ſingula ferrem,
Non procul inde novos objecit tela timores —
Inde ubi deflexiſſem, agitata lacinia gentes
Objecit diverſas vultu, habituq; modoq;—
Excutior tandem, & ſuſpenſus numine multo
Rura procul circumſpicio ſubjecta, ſituſq;
Villarum dulces: hæ prono in margine pendent
Clivorum; has querulæ per valles ambitus undæ
Et depreſſa tenent: fugiunt in opaca, ſinuſq;
Sylvoſos aliæ: latet incola: tuta recedunt.
Fallor? an hi nubis ludi? num talia fingunt
(Haud equidem reor) aereæ Spectacula ſcenæ?

Exit.

SCENA III.

*Grammatica ceu Geninus Philologiæ Solus Vaticinabundus, Juxta ſynaxim & Syntaxim ac Proſodiam Pſalmodiæ Paradigmatico-*Interioris, *vel Genium Judæorum Aſceticum exulantium ſive etiam religiosè trementium, ceu* Tremblantium, *querentium de præſenti rerum ſtatu, & quærentium Patriam celeſtem, & Verbum interius Activum & paſſivum, ceu lumen interno-*Perſonale, *modò ſpretum & repulſum; at cælitùs vindicandum iri, prædicit, Elegiacum in modum Pſalmi* 137. ἀναλογικῶς *Analogicè.*

GRAMMATICA SOLA.

EUphratis rapidas ſedeo dum mæſtus ad undas,
Miſta fluit lachrimis flebilis unda meis.

Dulcia

Dulcia præteritæ recolo tunc gaudia vitæ,
Gaudia queis licuit ſtante Sione frui.
Tunc animo redeunt, ſolymæi gloria templi,
Æmulaq;, heu! cælo, mænia ſtrata ſolo.
Dixerunt, tantæ fuerant qui cauſa ruinæ,
Jungantur noſtris carmina veſtra choris.
Sed ſuſpenſa negant modulatos organa cantus.
Nec reddunt ſolitos triſtia plectra ſonos.
Nempe peregrino degens vagus exul in orbe,
Quî poterit patriæ non memor eſſe ſuæ?
Quæ gravibus afflicta malis, oppreſſaq; luctu,
Non exauditas fundit ad aſtra preces:
Civibus orbatas urbes, agroſq; colonis
Plorat, & hoſtiles ſentit ubiq; manus.
O ubi nunc valles & lacte & melle fluentes,
O ubi, cum pingui paſcua læta grege?
Non jam lacte fluunt valles, ſed ſanguine, non jam
Mel, tabeſcenti flore, miniſtrat apis.
Non armenta ſuis colles mugitibus implent;
Balantem ſequitur non tener agnus ovem.
Nulla per incultas avium modulamiua ſylvas;
Unus pro cunctis, Turtur amice, gemis.
Attonitus pater ipſe ſtupet Jordanis, & undas
Olim miratus ſtare, jubente Deo;
Suſpenſo renovare cupit miracula curſu,
Verſaſq; ad fontem volvere mæſtus aquas.
Triſtia ne videat diræ veſtigia cladis,
Quam tulit immiti gens inimica manu
Deficiunt vires conantem, vota ſequuntur,
Irrita, et irato Numine vota cadunt.
Quod ſupereſt, iter accelerat, curſuq; citato
Feſtinat pigro ſe ſepelire mari.
Ergò, importunas victis ne imponite leges:
Victores tantum Cantica læta decent.

Tem-

Tempus erit, noſtris cùm jam ſaturata ruinis,
Ceſſabit poſitis numinis ira minis.
Mutabit fortuna vices, alterna rependet
Vincula, quæ noſtri jam ſubiere pedes.
Proxima ſors veſtra eſt; ſic nos Oracula vatum
Sacra monent: vos, vos proxima vincla manent.
Sentiet ultricem Chaldæus Numinis iram;
Submittetq;. novo colla ſuperba jugo.
Surget ab Eois Gens invictiſſima plagis,
Finem prælongis impoſitura malis.
Gentis ductor erit Cyrus, quo bella movente,
Corruet Aſſirij gloria celſa throni.
Hic temet, noſtris tumidam, Babylona, trophæis,
Sacrilegè raptas reddere coget opes.
Non te defendent turres, non ardua circûm
Mænia, non undis Amnis uterq; ſuis.
Nec natura ſenes, prudentia, ſtrictaq; fortes
Arma tegent juvenes, nec ſua templa Deos.
Fæmineus totâ fletus miſcebitur urbe;
Gnata gemet Patris funera, ſponſa, viri.
Uberibus mæſtæ cernent pendentia matres
Allidi duræ pignora chara petræ.
Hæc nobis rerum facies mutata cupitam
Materiam cantûs lætitiæq; dabit.
Organa tunc ſalices reddent ſuſpenſa, triumphos,
Ut decantemus, maximè Cyre, tuos:
Te captiva cohors poſitis jam læta catenis
Certatim feſtis tollet ad aſtra ſonis.
Virginijs immixta choris Hebræa juventus
Concinet ad patrios Cantica ſacra modos.
Nempe lares proprios, te concedente, reviſent,
Quos grave bis ſeptem luſtra premebat onus.
Felices nimium, magno queis munere Divûm,
Fas erit exilio ſic ſupereſſe ſuo.

Quos

Quos pacem dulci cum libertate ferentes,,
Excipiet largo patria læta ſinu.
Tunc Solymæ dono ſuperûm, Regiſq; favore,
Surget ab exequijs urbs rediviva ſuis.
Interea rebus nimium ne fide ſecundis
Perfida *Edom*; Sortes mobiljs urna rotat.
Nil noſtri caſus, nil te movere ruinæ;
Nil mala quæ à duro cogimur hoſte pati.
Invertet fortuna rotam variabilis, ut ſit
Infimus in primo qui fuit ante loco.
Cumq; Palæſtinam clarà Sol luce beabit,
Condet Idumæam nubibus atra dies.
Noſtra Deus medicâ reſecabit vulnera dextrâ;
Te gravis æternùm numinis ira premet.

Exit

SCENA IV.

Rhetorica, ſive Genius Juris-prudentiæ ceu Cultûs Nationalis, Calydoræ (quo nos nomine Sacram Concordiam *Chriſtiano-mutuam & Harmonico-omnimodam Intelligimus) mortem deplorans, ei, pro more, parentat.*

RHETORICA SOLA.

ERgo age, profuſo lachrymarum vitrea rivo
Stillantes riget unda ſinus, age, laxet acerbus
Fræna dolor, mæſto reſonent lugentia planctu
Sydera, & ætheriæ varijs ſingultibus auræ.
Hic quondam O quondam Zephyro frondoſa volanti
Irriguis per prata rotis, ſua pignora tellus
Floriferas pandebat opes, dum Dædala vernum
Luſtrabat Calydora nemus, vultuq; ſereno
Halanti virides irrorans nectare ſaltus,
Læta Britannos pingebat ſydere campos.

O quoties blandæ mulcebant æthera voces
Umbroſumq; nemus? quoties ubi concita vocem
Sylva refert? exculta ſinu diffudit amænum
Terra jubar, fælixq; novam mirata juventam
Mitia odorato ſpirabat balſama ligno!
Ut vaga ſecretis excita cubilibus ales
Melliſluum bibit aure melos, examina denſans
Aſtat, & umbroſâ Captat ſub fronde ſuſurrum.
Audiit ut Tameſis digreſſus in oſtia Ponti
Præproperum tardavit iter, lentiſq; volutus
Fluctibus, invitâ proceſſit tardior undâ.
O dolor, O triſtes revoluto ſtamine fuſi!
Invida fatorum ſeries! nunc advena campum
Bruma & Hyperboreijs aquilo circumvolat alis
Irriguam vincturus humum; nunc aſpera dumis
Terra, pruinoſo conſtricti marmore fontes,
Sylvaq; nudato paſſim per devia trunco
Deciduis riget orba comis. Heu gloria noſtri
Heu nemoris, Calydora, decus, ſolatia campi,
Gemma Soli, languet crudeli clade perempta;
Lugenteſq; ſuo privantur ſydere ſaltus.
Lingua heu Lingua ſilet, caligenteſq; tenebræ
Pallida Lethæo clauſerunt lumina ſomno.
Ferte leves violas, niveiſq; adoperta pruinis
Lilia, purpureis fragrantia lilia criſtis.
Ferte roſas; hic hic tumulum ſtatuemus inanem:
Triſtia prætenti ſtabunt monumenta decoris,
Diræ ſigna necis; vacuis evanuit auris
Corpus, & ignoto clauſit Libitina Sepulchro.
Te molles, Calydora, roſæ, te muta ſub antro
Luget avis, te noſtra ſuo viduata decore
Prata gemunt, lachrymis augentur flumina fuſis;
Te mæſtæ Dryadum turmæ, tibi, cum juga Phæbus
Eois illuſtrat equis, cum tingit Ibero
Amne rotam, vitreo frondoſæ Doridis antro,
Britanicam retegunt lugubri ſyrmate ripam

Ite,

Ite, O mæſto properate gradu,
Offerte pijs munera dextris,
Munera noſtri ſigna doloris.
Solvite celeres Lumina rivos,
Fundite gemino flumina fonte.
Vox hæc reſonas ſparſa per auras
Crebro repleat plangore nemus.
Perijt noſtri gloria tractûs
Sydus Britonum, Calydora, ſoli.

Exit.

SCENA V.

PALLAS *Calidoræ trophæum ferigit, et locum ubi illa certans Occubuit, vocat campos* ELOQUENTIÆ.

PALLAS.

QUis hic amaro lugubrem ſpargit ſonus
Clamore campum? quæ per umbroſos volat
Querela ſaltus & repentino mihi
Percellit aures murmure! en mæſto prope
Squallens ſepulchrum funere, ut noctem refert,
Furvumq; triſti veſtit obtentu Solum!
*Huc frondoſæ numina Sylvæ
Quæq; apricis ſaltibus umbra
Procul obſcuris occulit antris,
Aut quæ niveo ſpatioſa pede
Triſtes agitis per prata choros,
Vel queis vitrei margine rivi
Florens Serto canna paluſtri
Cingit viridi tempora fronde.
Huc ergo Britonum Dive luſtrator Soli,
Auguſta terræ gloria, undarum parens,
Effare quidnam hæ næniæ, planctus, dolor,

* *Subintrat Thameſis cum aliquot Nymphis & Dijs Marinis & Rureſtribus.*

Squallor, ſepulchrum triſtibus ſignent notis.
Tameſis. Ter grata ſuperis Diva, muſarum decus,
Belliq; fulmen, quæ per æthereos polo
Dilapſa tractus gemmeum huc flectens gradum
Serena læto ſydere Angliam beas,
Tumulus coruſcis æmulum hic ſtellis jubar
Claramq; furvus Virginem Squallor notat.
Calydora Britonum nympha ſublimis ſoli,
Noſtriq; gemma littoris, cæli roſa,
Iſtic rigenti mæſtâ langueſcens comâ
Perſoluit atræ triſte vectigal neci.
O quale ſydus virginis, quantus jugi
Nitore candor! mellis irriguum ſacro
Stillabat ore flumen, ac dulci ſolum
Rivo beabat; verba ſpirabant crocum;
Hominumq; victrix gemmeis paſſim ſibi
Aures catenis ſtrinxit, attraxit fibras.
Pallas. fare ergo, dirâ ſorte quis caſus tulit?
Tameſis. Exumpit orco cæcus in terram furor,
Nobiſq; tantum livor invidit bonum.
Diris tyrranus percitus furit minax
Sacramq; rabido Virginem impulſu petit.
Læſum rigenti concidit ferro caput,
Niveuſq; puri lactis exundans cruor,
Caſtis odorum rivulis ſparſit ſolum.
Aſt illa roſeis ceſſit in florem comis.
Nos, cùm patenti corpus aufugit noto,
Inane triſti funus exequimur ſono,
Pij doloris teſſeram, indicium necis.
Pall. Crudele facinus! quid tamen turpi notat
Mærore campum ſquallor, ac furva ſolum
Obvelat umbra? Cantus hanc luctam decet;
Plauſus, chorææ, cithara, concentus, melos.
Auferte triſti lugubres planctu notas,
Subeat ſepulchro pompa, ſquallori nitor.
Virtutis iſtæc ara, Calidoræ thronus,

Laudis

Laudis palæſtra, gloriæ æternum decus.
Hæc arva deinceps, nobile occumbens ubi
Forti trophæum pectore, *eloquens* ſuâ
Virago morte fixit, *Eloquentiæ*
Campi vocentur: nomen aſſervet locus.
Aſt illa ſuperas inter affulgens faces
Promens ſereno lumine auratum jubar,
Nova ſtella roſeas pandat æternùm comas.
Cælum ſolumq; virgini applauſum paret;
Solum coronet floribus, ſtellis polus.
Ite vaga mundi numina, *Æolia* cohors
Alata fratrum turba, veſtris illicò
Subnixa pennis *fama* Calidoræ ferat
Nomen per orbem: tota feſtivos agat
Tellus triumphos; aſtra Calidoram ſonent.

Exeunt.

SCENA VI.

Neophytus, acceptâ recente famâ de Eloquentæ Campis à Pallade Britanno-Anglicanâ nuper erectis, repurgatis excultis & inſcriptis, eorundem tutelarem Genium ceu ECHO, *propitiare conatur, nontamen ſine aliquâ Præmonitione, contra quaſdam ſectas diſſectas Socinianizantium, Romanonizantium, & Arianomizantium, quos ſub inſectarum Ranarum* coaxantium *nomine indigitat clanculùm delitescentes; at evomentes Incantationes ſuas ſectarias: tum demum ad Palladem, relictis exteris ſe ſe recepturum dicit.*

NEOPHYTUS Solus.

NYmpha, vocalis comes O Dianæ,
Britonum turres, nemoriſq; vernos
Quæ beas colles, ſoboles canoræ
Poſthuma vocis,

Sis

Sis diu felix, precor, & loquacis
Inter umbrosos habitans penates
Ruris, argutos tenui lacessas
Murmure valles.

Dum leni Morpheus oculos ferarum
Compede astringit, tacitæq; Ductor
Noctis accendit per inane seros
Hesperus ignes;

Tu vagas inter Platanos, Favoni,
Suave spirantes animas, diserto
Provocas risu, tremuliſq; mulces
Antra susurris,

Mane dum florum Dea, rorulentis
Pingitur gemmis humus, & morantem
Cantibus lucem vocat è supina
Daulias orno;

Tu suas miranti iterum remittis
Aliti voces; dolet ales arte
Se suâ vinci, repetitq; agrestem
Denuò Musam.

Tu notas leni Zephiro refractas
Garrulâ reddis voce: statq; utrimq;
Grande certamen, tibi palma victrix
Cedit, an illi?

At quid inviſis, Dea, cùm silenti
Astra labantur taciturna cælo,
Accinis *ranis*, querulâq; rumpis
Voce soporem?

Quid paludosis vigilas cavernis
Inter exosum genus? ah! in ipsos
Fluminis vertas potius propinqui
Carmen olores.

Ah! in argutas, quibus aura blando
Mollis illudit, corilos, susurro,
Temet impendas melius, coruſca
Vocis imago.

En,

En, tuas, olim, hanc *Italis* refixam
Poſtibus, ſuſpendo ſuper comantes,
Nympha, cupreſſos, Chelyn, erudito
Vulnere ſignans
Corticem: creſcant, precor, hæ, meiq;
Creſcite, verſus ſimul, & ſequentes
Vivite in luces: ego vos, bis actâ
Meſſe, reviſam.

Exit, Siparium adducitur, & continuò Concentus Muſicus reſonat.

ACTUS II. *Scena* I.

Ars Magica indignatur ſe inter liberales Artes non numerari.

Genius Artis Jeſuitico-Magicæ.

FAuces averni, tuq; ſulphureâ fluens
Cocytus undâ, qui tremiſcentes vado
Umbras coerces: voſq; feralis cohors
Furiæ nocentes, Tartari triplex dea,
Adeſte: vos vos noctis inviſum genus
Præferte noſtris luridam cæptis facem!
Quouſq; torpet animus, ac ſegnem pigro
Languore verſat degener mentem ſitus?
Jacet Sepultum pectoris robur, jacet
Sopita virtus, & moram nectit moræ.
En liberales ſeptimo, ſi dijs placet,
Clauduntur Artes numero, & invidia mihi
Commune laudis nomen ac ſertum negat.
Probro ſuperſum? cujus ad nutum tremit
Convulſa tellus, pallet umbrarum cohors,
Cælum obſecundat, legibus tremens meis
Natura

Natura paret, jura præſcribo ſtygi:
Nec liberáles inter optato manum
Honore ditat palma: dedecoris pudet.
Vel inter Artes dabitur ingenuas locus
Vel fractus orbis decidet: throno Jovem,
Solemq; cælo detraham: ventis fretum,
Miſcebo terram Tartaro, noctem die.
Vindicta parta eſt, ſic vafræ pœnas dabunt.
Mihiq; periens vel parentabit ſuâ
Mundus ruinâ. Stat tamen blandis prius
Tentare precibus: fama conſtanti volans
Librata pennâ narrat hæc cunctas juga,
Campoſq; celeri petere feſtinas gradu.
Sed en propinquant! commodum opperiar locum.

SCENA II.

Rhetorica ſive Cultus Nationalis lætatur de novo camporum ſuorum honore.

RHETORICA.

NUnc roſeo Titan rutilat formoſior auro,
Cæruleoq; leves accendit in æthere currus,
Nunc matutina folijs aſſibilat aura,
Librat & ambroſiam Zephyrus per inania pennam
Nectarijs afflata rotis: proli gloria Sylvæ
Quanta! novi quis veris honos! quâ Flora ſereno
Prata gradu luſtrans inopinis floribus arva
Mærenteſq. novo veſtivit ſydere campos!
Melliflui nunc ruris opes, juvat ignea Phœbi
Spicula, ſydereum flammis radiantibus orbem,
Et vernos luſtraſſe dies; juvat aurea ſylvæ
Germina, fragranteſq; roſis inviſere ſaltus,
Hinc vaga puniceo rident vaccinia tractu
Luteolis adoperta comis: hinc lucidus horti

Pra-

Pratorumq; aſſurgit honos; hinc caltha rubenti
Intertexta roſæ, molliq; per arva capillo
Lilia virgineis radiant argentea culmis.
Sic ubi cæruleos picta ferrugine vultus
Inficit, & vario rutilat Thaumantias arcu:
Illa per anguſtos curvato tramite flexus
Multifidum diſtinguit iter, mediumq; per orbem
Soli adverſa leves intermicat aurea nimbos:
Non hæc effuſis deducti nubibus imbres
Pleides aut madido reſolutus Juppiter auſtro
Non Phrygius rigat arva puer, ſed lactea ſylvis
Unda fluit, tremuloq; ruens fragrantior amni
Mollia Cecropio Diſtendit flumina rivo,
Naſcenteſq; ſuo perfundit nectare plantas.
O decor, o flores, o verni gloria ruris!
Camporum divinus honos, o flumina, ſaltus!
Sed en ſereno Muſica adverſum gradu
Amæna luſtrans arva, mellifluo beat
Campos ſuſurro, filaq; explorans manu
Spargit virentem miſſili ſylvam ſono.
Hic dulce ſiſtens aure captabo melos.

SCENA III.

Iter ad campos eloquentiæ parat Muſica.

QUem puriori deflua rivulo
Juvat voluptas, cui rigido lubet
Pectus fatigatum tumultu
Innocuo relevare ludo
Almo coruſcam lumine Muſices
Frequentet aulam, barbita, barbitis
Hic mixta cernat, hic ſonantem
Piereo citharam ſuſurro.

Librata blando carmina gutture
Agnoſcit æther, & parili modo
Vocem retorquet, tinnuloq;
Prata virent recreata cantu.
Sonus patentem miſſus in aera
Radentis æquor præcipites noti
Retardat alas, & furentem
Melliflua cohibet catenâ.
Audit liqueſcens ut Boreas melos
Frænat furorem, perq; nemus levem
Captans ſuſurrum, tardiori
Lambit humum taciturnus alâ.
Leo ſonoros aure bibens modos
Ponit cruentam fulmineus jubam
Dulciq; manſuetus ferocem
Dedidicit rabiem canore.
Non æſtuanti ſpirat anhelitu
Hyrcana Tygris, non tumido fremens
Rictu minatur, ſed quieta
Innocuæ comes aſtat agnæ.
O pax ſereni Muſica pectoris,
Curæ ſepulchrum, diliciæ ſoli,
Regina mentis, ſur laboris,
Sola placens animo tyrannis.

SCENA IV.

Rhetorica ſive Eloquentia convenit Muſicam.

Elo. O Blanda mundi Muſa, deliciæ, melos,
Divina Syren, quæ repentino fibras
Inceſſit æſtu flamma, quis tandem vagam,
Per implicata devio tractu juga
Huc egit error? *Muſ.* Nullus huc error tulit,
Nec per ſcabroſos devio paſſu vagor
Incerta ſaltus: Dirigit pietas gradum,

Tuiq;

Tuiq; totis inſitus fibris amor.
Tu certa nobis ſtella, tu portus, ſcopus:
Te noſtra quærunt vota, te ſonat chelys.
Elo. Ter gratus ardor, grata flammatis vigens
Pietas medullis pacis æternum jugi
Amore ſurgat fædus, atq; animos novis
Stringat catenis: Citiùs occiduo diem,
Spirabit axe Phebus, & furuæ ſoror
Regina noctis fratris excipiens vices
Sparget diurna penſilem mundum face,
Quàm noſtra diſcors fædera abrumpat dies.
Sed en ſagaci cælicos Urania
Speculatur orbes lumine, & ſuperas polo.
Mirata circùm tramite obliqno faces,
Placidum ſerenæ frontis expandit jubar.

SCENA V.

Aſtrologia eoſdem petit campos.

CUi mentis alam terrea degravans
Moles retardat, ſeq; per aureum
Cænum volutat, ac tenaci
Penna madet lutulenta viſco;
Fallace quiſquis luſus imagine,
Viles caduco delicias ſolo
Rimatur abjectus, brevemq;
Fluxa capit animum voluptas,
Abeſto; nuſquam ſydera plumbeo,
Scandet volatu, non rutilas domos
Soliſq; Cynthiæq; tractus,
Et ſuperas penetrabit oras.
Cur præſes aſtris ſol rutilo ſedens
Princeps ſenatu, tempora lubricus
Alterna diſpenſet, ſuoq;
Arbitrio moderatur annum.

Cur non bicorni nubila dividens
Regina noctis Cynthia labitur,
Obliqua curru, nunc remotum
Oppoſito videt ore ſolem,
Et nunc ſequatur nunc niveâ præit
Fratrem quadrigâ, nec ſtabiles tenens
Curſus, inæqualis pererret
Sydereos peregrina tractus,
Cur Libra juſto pondere penſilis
Nocti coævum nunc paribus diem,
Componat horis, nunc citatum,
Noctis amans fugit Urna ſolem
Nunc cana ſparſus cur nive tempora,
Seneſcat annus, ac rigidam dein
Ponens ſenectam, purpuratas
Fronde comas juvenilis ornet:
Et vere primo florea germina
Spargens odoris undiq; vallibus
Roſis coronatus capillos,
Per virides ſpatietur hortos.

SCENA VI.

Elo. O Nymha fœlix penſilis mundi nitor,
Quæ fulgurantes Lynceo aſtrorum pla-
(gas
Scandis volatu, dum tuum nobis jubar
Benigniore propriùs affulget comâ,
Novus Sereno lumine exoritur dies!
Aſtro. Vos gemma duplex, fulgidæ veris roſæ,
Vos bina mundi decora, veſter anreo
Fulgore radiat Splendor, emittit faces,
Quà Phœbus amne condit Heſperio caput,
Roſeumq; ponto promit Eoo diem
Muſ. Sed quæ micantes lumine intento globos,
Secreta ſpectas aſtra, quid polus novi
Claroq;

Claroq; rutilæ denotant cœlo faces?
Aſtro. Novo coruſcans Sydere auratis micat
Radiata flammis Stella, & expandens jubar
Lætum Sereno pingit ornatu Solum.
Elo. Quæ, fare, Stellæ forma? quod frontis (decus?
Aſtro. Variat coruſcum diſcolor crinem nitor
Rubeiſq; late nivea Scintillat notis.
Qualis ubi celſâ lucidus Titan rotâ
Superis Eoam facibus illuſtrat Thetin
Crinita vibrans Spicula, adverſùm micans
Rimoſa varius nubila alternat color:
Candore Speciem mixta nix rubram notat,
Roſeus micantem purpurat nivem rubor.
Elo. Agnoſco faciem, nemoris hæc noſtri de- (cus
Calidora, quondam lucido hos tractu beans
Regina Campos, cujus indignam pie
Miſerata Sortem Pallas exemit neci,
Novumq; rutilo Sidus affixit polo.
Muſ. Et noſtra tantam virginem canet lyra.
Aſtrol. Fulgore totus plaudet aſtrorum decor.
Sed quæ relicto Ditis umbroſi lacu,
Ferale triſti nubilo obvolvens caput
Caliginoſo furia procedit gradu?

SCENA VII.

Ars Magica *cum liberalibus artibus ſuam agit cauſam ut in earum numerum aſcribatur*

QUem longa dudum vota ſperarunt diem,
Tandem faventi lucidus Titan rota,
Fauſtoq; clemens ſydere advexit polus.
Quid ſola veſtro Magica ſecludor choro,
Et ſorte privor, artium ſemper domus

Occluſa

Occluſa nobis, & peregrinis vaga
Errare campis cogor, incerti laris?
Non gravia poſco, liceat, hoc tandem date,
Octava veſtro jungar hoſpitio comes.
Elo. Numeris canorum gaudet imparibus melos,
Septemq; chordis artium conſtat chelys.
Mag. Et certa nobis plectra, ſi melos placet,
Suumq; Magica carmen & cantus habet,
Elo. Ferale carmen. *Mag.* Cujus ad ſonum, noti
Alas retardant, arbores cedunt loco,
Ovanſq; vocem ſequitur auritum nemus
Elo. Cujus nefandis pepulit & repulit notis
Ferale murmur, nube ſol vultum tegit,
Caputq; condens horret aſpectum tui.
Rubet pudore Cynthia, & flectens rotas,
Curſum citato repetit Eoum gradu.
Styx ſola feſto recipit applauſu melos.
Immanis audit turba furiarum cohórs,
Diræq; tractæ carmine exululant truces,
Tuamq; pleno muſicam alternant choro;
Attollit aures Cerberus, & atris tuum
Captans colubris murmur, horrendum latrat,
Tibiq; paribus uſq; reſpondet notis.
Faceſſe, triſte ſemper ac lævum intonas,
Tuumq; noſtræ diſſonum filum lyræ.
Mag. Non ſic recedam; ſi precum pondus leve eſt,
At jure vincam. *Elo.* Jure? quod jus eſt tibi?
Mag. Ars ſum, mihiq; nomen hoc mundus triplex
Unâ per ævum voce couſpirans dedit;
Totoq; paſſim judice Ars mundo vocor.
Elo. Ars nigra! *Mag.* Nigra! artem non color, virtus facit.

Elo.

Elo. Tibi ipſa virtus decolor. *Mag.* Semper leves,
Exoſa fucos pulverem virtus ſapit
Sudorem, arenam, ſanguinem. *Elo.* ſed non Stygem,
Furias, venenum, Cerberum, noctis chaos,
Fuliginoſos Ditis inferni lacus
Mag Quin etiam averni nobilem Alcidæ comam
Fuligo tinxit; unde, quo cinxit caput,
Ramus nigrantes diſcolor traxit notas.
Elo. Tellus honoris campus Herculei fuit,
Famæ Theartrum, quodq; ſub terris, ſtyge,
Patravit olim, conſciâ, id ſuperis adhuc
Vix notum in oris. At quæ in Alcide fuit
Pars minima laudis, laudis hæc ſumma eſt tuæ.
Mag. Quæ facilis omnem voce tellurem cio.
Elo. Quæ triſte latebris condis umbroſis caput.
Mag. Quæ celſa ſcandens nubila, alato feror
Regina curru; jura do victtrix ſolo.
Elo. Quæ mortuorum crania rimaris, vaga
Legis ſepulcris oſſa, ſcrutaris rogos,
Sugis venenum, cereas fingis notas,
In quas, acutas urgeas acus manu.
Sopis cruentas Theſſalo cantu feras.
Mag. Cui clara cælo ſydera, auratæ faces,
Sub jura cedunt, cujus ad vocis ſonum,
Vultum ſerenat Phæbus & nubes fugans,
Meo nitentes pandit arbitrio comas.
Fratres per orbem, juſſero, Æolij volant
Cientq; fluctus; juſſero, placidum Thetis
Benigniore leniet vultu ſalum.
Quin ergo veſtro ſocia conjungar choro?
Elo. I, fæda peſtis, dira Cholcorum lues,
Lethæa noctis filia, I, Scythicis procul
Ulula ſub antris, & Cytæino caput

Specu

Specu reconde. *Aſtro.* Perge, Caucaſio pete
Infeſta ſuccos littore; Ææis lege
Venena campis, luridum Ditis genus,
Informis Orci bellua, umbrarum comes.
Muſ. Fumoſa ſume plectra, nigranti ferum,
Modulare nervo carmen; I, ſtrygibus cane,
Furijs, averno, Cerbero, nocti, tibi;
Nec Chorda diſcors Artium turbet melos.

Siparium adducitur, & Concentus Muſicus continuò occipit.

ACTUS III. *Scena* I.

Primipilus Artis Magicæ comes, nimirùm Jeſuita, cantillat, neſcio quæ, ſomnia, de igne & animabus Purgatorij & Inferni, per modum Terriculamenti ceu Miraculi Magico-Viſionarij, ad ineſcandos præcipuos Cives Albionopolitanos, viz. *Polarcam, Satrapam, Eutropium, Euprepium, Symmetrium, & Philaretum; quibus videtur identidem blandiri tam officioſo aſpectu quàm geſtu & alloquio ſubinde auriculari, ſubinde eloquio, alterutros verſus, dirigendo: Dum ipſius ſocij, Monachus & Franciſcanus nec non Fanatico-Miniſtellus, prædictos Cives titillare nituntur quiſq; ſuo modo, & quidem ſibi.*

FAs ſit, receſſus illachrimabiles,
Omnemq; Verſu pandere Tartarum:
Fas ſit, cavernis *ſacra* ferre
Condita Cimmerijs ſub auras.
Tu qui ſereno miſſus ab æthere
Dux adfuiſti penniger, & comes,
Primumq; monſtraſti ſepultos
In tenebris melius timores;

Tu

Tu rurſus adſis; quæq; ſub ultimis
Vidi latebris, auſpicio tuo,
Modumq; pœnaſq; & jacentes
Carcere (dic) animas opaco.
Jam ſerus alto preſſerat Heſperus
Temone cælum, ſidereas propè
Emenſa cùm Phœbe choræas
Plus mediâ ſuperarat axe;
Viſus paventes ante oculos mihi
Recens ab æthræ delicijs puer
Adſtare, dein vultu minaci
Sic dubiam increpuiſſe mentem:
Exurge, ſanguis degener, ocius
Inauſpicato corripe te toro:
Totamnè (proh!) noctem, ſodales
Igne tuos populante, dormis?
Exnrge; greſſu me ſocium pari
Sectare. Dixit; nec mora; prævium
Secutus, evaſi cubile,
Liminibuſq; retrò relictis:
Exin, profundum viſus eram nemus
Subire; ſub quo, ſcrupea faucibus
Spelunca deſertis, lacuſq;
Furvus, aquâ piceâ ſcatebat.
Hic dux potentem corripuit manu
Virgam, bis atram quà feriens humum,
Tranſverſa, diductas repente
In latus egit hians ruinas.
Eheu! gelatos quis miſero mihi
Contraxit artus horror? ubi Chaos
Immane, fumantemq; vaſti
Contigimus Phlegetontis amnem:
Illac furentes volvere vortices
Cocyton; illac non ſine ſulphure
Plumboq;, liquentiſq; ferri
Fluminibus glomerare longos

Stygem dolores; hàc nivibus nives
Friguſq; aduri frigore vidimus
Intaminato; luctuoſis
Imbribus hàc reſonos Avernum
Urgere rivos: hinc Erebi cohors
Fameſq; morbuſq; impatiens ſui,
Morboq; fædior ſenectus,
Et ſociam comitata mortem
Non commovendâ fronte neceſſitas
Mortalis ævi: parte aliâ, *furor*,
Cædeſq; ſtrageſq; & cruenta
Ore fremit ſine lege bella.
Eſt nempe ſors hæc ſupplicio pari
Damnata nigro cum grege Manium,
Illos in ævum, conſtituti
Temporis hos cruciabit ordo.
Quid multa? vidi quem Dominum timet,
Quiſquis timetur, Tartareum ducem;
Nodoſq; collo viperinos;
Ignem oculis furibundus acrem
Volvebat, ignem naribus, invido
Niger veneno; cætera ſpineæ
Torquebat indefeſſâ caudæ
Verbera Chriſtiados in umbras.
Has inter, heu me! toſtus aheneâ
Quondam ex meorum fiore ſodalium,
In crate marceſſebat unus
Aſſiduo domitus vapore:
Ter ille ſupplex invalido mihi
Palmas tetendit; ter face reppulit
Erynnis, intentoq; ſupra
Intonuit ſcapulis flagello.
Tum me ſub umbras dux alias tulit;
Interq; fumi nigra volumina,
Denſaſq; devectum phalanges,
Mox alio ſtitit in Barathro:

Con-

Concreta miris hic Etebus modis
Contrariorum dulcia criminum
Errata tormentis amaris
Eximit, oppoſitâq; mulctâ:
Incontinentis luſtra Cupidinis
Hic aſſuetus viſere, marcidis
Torpore reſtinguit nivali
Membra vadis glacieq; flammam.
Anhelus illic Tantaleæ ſitis
Obſeſſa fervor guttura concoquit;
Frangebat olim qui ſupino
Sæpe dies ſolidos Lyæo.
Sunt, quos ad auras expoſitos Notus
At non inani, ventilat aere:
Sunt, quos ad undas expiabat
Eumenidum fluvius ſonantes.
Sed damna quamvis quiſq; ferat ſua,
Vox una cunctis: Oh, bene providus
O ſi fuiſſem, cùm trahebam
Æthereas moriturus auras!
Quantum vel uno mollis anhelitûs
Tunc abluiſſem flamine ſordium!
Tunc vincla diſſolviſſe felix
Et validas potui catenas:
Quas nunc nec ulli rumpere turbines
Nec totus undis Oceanus poteſt
Auferre; dum longos in annos
Volvo, revolvo rotam dierum.
At vos, Amici, vos, miſerabiles
Audite ſaltem quas ferimus preces;
Audite; ſic noſtri labores
Perpetuò, lachrimæq; deſint.
Sic vos beatis ebria gaudijs
Cohors, Olympi ſedibus inſerat,
Dignos recenſeri Deorum
Agminibus, patrioq; cælo.

Alter Artis Magicæ Socius, videlicet, Monachus, eaſdem Incantationes ſubſumere & corroborare ſatagens, ſic pergit infaſcinare Albionopolim profanâ quadam Cantilenâ De Echo *quâdam Monaſticâ addiſcente & prædicante vel reſonante ſuperſtitioſum cultum Virginis Mariæ; nempe inſtituendo vel potius adjurando ipſam* Echo, *ut ſacrum Mariæ nomen diſcat & alia dediſcat.*

DUlcis umbrarum, nemoriſq; lingua
Efficax mutas animare Sylvas,
Dicta, Muſarum *jocus* atque vocis
Poſthuma proles:
Quæ lyræ cantus ſequeris magiſtræ,
Impari quamvis male firma greſſu,
Quam ſui ridet fidicen referre
Pectinis ictum.

Huc ades, ſacros Heliconis, Echo,
Vecta per lucos animâ Favoni,
Linque vernantes latebras, novemq;
Antra ſororum.
Aſt Dionæos decet antè cantus,
Nympha, dediſcas; meminiſſe caſtos
Virginis tantum, docilis, ſimulq;
Matris amores.

Hanc canes, non ut ſonitu ſolebas
Subſequi fracto cytharam, aſt aperto
Ad lyræ tactus repetes volentis
Ore Mariam.

Fare, quæ pulſis Erebi tenebris
Gemmeam mundo properavit horam,
Qualis auroræ micat orta ſtella?
Echo; Maria.

Fare,

Fare, quæ nigros ſubigens jugales
Noctis, ut Phæbi ſoror, aureorum
Ignium ducens præerat cohortes
Axe? E. Maria.

Fare, quæ noſtras hyemes ad Arctos
Spiculo pellit niveo, invidente
Fulgidis tanti radijs nitoris
Sole? E. Maria.

Fare, quæ ſtructæ, ſimilis phalangi
Simplici duras hominum medullas
Impetu expugnet, rapiatq; fibris
Corda? E. Maria.

Jam licet, doctum, mihi ſat probata,
Theſpiâ carmen mediteris umbrâ,
Meq; pòſt, majora canes, Migiſtro,
Doctior Echo.

Tum demum Heterogenius quidam ambidexter Artis Magicæ Sodalis, ſcillicet, Fanatico-Miniſtellus, primò declamitat contra Romanam crudelitatem, quam poſtmodùm, miro quodam alio percitus Aruſpicij æſtro, vaticinatur convertendam iri ad & per Sacrarum Scripturarum *lucem communem & uſum vulgarem ceu moralem, cunctis perhibendum & ſemper duraturum.*

Fanatico-Miniſtellus.

QUid, Roma, cerno! te nè ſuam Getæ
Fecere ſedem? quò generis tui
Virtus receſſit? unde tantam
Pectore duritiem bibiſti?
Poteſnè Civis, criminis, integri
Retorta tergo brachia libero
Spectare, Suſpenſamq; ſacro
Barbaricam jugulo bipennem?

En

En, ut retorto lacteus agmine
Decurrit amnis per medias ruens
Urbis platæas, ut ſceleſtam
Ambroſio rigat imbre terram!
Hæc cernis, æther, nec vaga protinus
Igni coruſco nubila dividis?
Quid lentè torpes, nec ſoluta
Tela, *pater*, per inane libras?
At non Abyron, dum petulantius
Cælum laceſſit, peſtiferam tulit
Impunè linguam, quin ſeveras
Morte daret properante pœnas;
Namq; ut rebelles in Superûm *patrem*
Fudit loquelas, continuò impias
Exoſa *mater terra* voces,
Horribili trepidat fragore:
Mox ſponte vindex in geminas ſolum
Se findit oras, patulas ſtygi
Fauces reſolvens, caſtra ſorbet
Cum populo & duce turbulento.
Roma, & ſuperbo nixa throno inclytum
Spargis cruorem? nec meritas paves
Tonantis iras, ſive flammâ
Sive gravi caput hoſte frangat.
Sed quis *minantis* pectora Delphicus
Invaſit ardor? quis Deus? abdita
Quò fata vergunt! quas at olim,
Urbs, video tibi deſtinatas
Mutationes! ipſe ſuas *Pater*
Prudens futuri temporis arbiter
Suſpendit iras, ut benignos
Sepoſitâ feritate mores,
Mitemq; Clemens ſerius indolem
Tandem reſumas; nunc patrio licet
More inſoleſcas, & ſubacto
Arma tuo dominentur orbi.

Optatus

Optatus olim ſol tamen aureum
Evolvet ævum, quum venerabilis,
Mutata, Pauli Epiſtolas, tum
Chriſti & Evangelium ſequeris:
Leges ſacratæ ſacra Volumina
Vitæq; fontes; quos peperit Deus
In cruce pendens; margineſq;
Oebalij polies lapillis.
Tum nemqè felix tunc Adamantinis
Confixa clavis ſcripta leges, piâ
Volvenda mente; quæ nec Hoſtis
Arte dolos meditans, nec ignis,
Aut bellicoſus dum chalybe inclytas
Exſcindit urbes, Mars ferus obruet.
Si pulſa labantur aſtra,
Literula una ſacra haud peribit:
Ite, Superſtite eâ, ruinæ.
Tu Phæbe, ſacrâ nil ſpecioſius
Hàc mole cernes, ſeu face proximos
Accendis Indos, ſeu remotas
Heſperidum repetis columnas;
Seu lora flectis, quà plaga tenditur
Semper propinquis toſta caloribus,
Vel quà ſub axe uterq; mundus
Frigore perpetuo laborat.

Exunt omnes colloquentes ceu ſuſurantes inter ſe.

SCENA II.

Neophytum, ab Artis Magicæ ſtudio jampridem Converſum ad Sacrarum literarum, juxta Patriæ leges, cultum, ſed tandem ſpretum ac propemòdùm fame enectum, atq; propterea in Propoſito vacillantem, confirmat Agapidem.

Agapides, Neophytus.

Agap.

Agap. AMice ſalve. *Neoph.* Servet Agapidem ſalus.
Ag. Quid alto, Amice, ſpiritum è ſinu trahis?
Neoph. Telluris imo preſſus ubi clauſtro, latet
Obicibus arctis Æolus, hyantem niſi
Laxes meatum, ſævit, ac vaſto ſolum
Tremore quaſſans, ultimam mundo ciet
Latè ruinam. *Agap.* Frater, ambages canis.
Neop. Agitor. *Ag.* Cupreſſum firmat agitatam Notus.
Neoph. Luctor. *Agap.* Virilem lucta virtutem probat.
Neo. Titubo. *Ag.* Gradum firmare titubantem decet.
Neo. Labo. *Ag.* Labanti Amicus apponit manum.
Neoph. Fruſtra labantem ſiſtis, ubi lapſus juvat.
Agap. Semper nocet labare; quem lapſus juvat,
Exurgit ille celſus, haud pronus labat.
Neoph. Quid priſca Romæ *Sacra* jam exoſi, nova
Sectamur ultrò fœdera. *Agap.* O frater, labas.
Neo. Exurgo celſus. *Ag.* Lapſus hic nimium nocet.
Neoph Nocet, vetuſta rite venerari ſacra?
Ag. Si quid ſequare melius, in promptu eſt, nocet.
Neo. Nocet, verendum *ævi omnis* exemplum ſequi?
Agap. Iniqua cum ſunt dogmata antiqua, heu nocet.
Neoph. Nocet *reverſæ* ſortis amplecti vicem?
Agap. Præferre ſortis munera *Saluti*, nocet.
Neoph. Sequitur *reverſam* tuta fortunam ſalus.
Agap. Neſcit bifrontem tuta fortunam ſalus.
Sic muſca rutilæ capta ludibrio facis
Exuſſit alas. Frater, erratum eſt ſatis.
Amice, quò te vana tranſverſum jam agit
Imago mentis? tanta conſequitur fides
Ludibria antiqua? pudeat illuſum trahi.
Neoph. Cùm tunſa puppis vela pugnaces agunt
Aquilo, Notuſq; nutat hinc illinc ratis,
Incerta cui ſe credat urgendam duci.
Ag. Adhuc vacillas? *Neo.* Spes agit Victûs tenax.

Agap.

Agap. Miſeræ beatam poſthabes vitam miſer!
Captas caducam, Chriſtus æternam parat.
Brevem requiris; pandit immenſum Polus;
Petis agitatam, ſpondet immotam fides.
Quid cæcus ambis? Frater. *Neo.* Ubi ſequeris *Pa-*
(tres.
Agap. Socie. *Neoph.* Alienus mente diſſocias jugum.
Agap. Amice. *Neoph.* Diuos abijcis, amicum negas.
Agap. Neophyte, Amice, ſocie, Frater, O ſacri
Per quicquid uſquam eſt nominis, ſupplex rogo,
Converte greſſum. *Neo.* Antiqua me pietas vocat.
Agap. Errata quidnam vetera pietatem vocas?
Sed quando cordis error indomiti placet,
Saltem hoc amoris pignus æternum cape.
(Porrigens ei Biblia ſacra)
En fædus, en promiſſa Chriſti, alma en fides
Adamante vincta: perlege has fidei notas.

(Tum Neophytus accipienn Biblia & aperiens, incidit in Collos. 2. *&* 3.)

Neoph. Quis lumina ardor, corda quis ſubit ò calor
Accendit? ignem *literæ* an *mutæ* vibrant
Telumq; amoris? codice de quarum ſacro
Libravit ignes Chriſtus, & victor ferum
Subegit animum. Redeo, do victas manus,
Chriſtum per omnes certus ærumnas ſequi.
(Tunc innixus Agapidi, & tenens Biblium apertum.)
Amore totus langueo! O fervet ſinu
Quàm dulcis Ætna! vel reluctantem trahit
Inſolitus ardor: Pectus ignotâ vorat
Amor fauillà: Chriſtus ad ſe ſe, vocat;
Sequor vocantem; corde non dubio ſacras
Admitto flammas: totus in Chriſtum migro.
Papalis iterum ſordet impietas mitræ:
Romana munera atq; Numina valeant:

Agap. Is, frater, & huic pectori arridet calor;
Quàm laurus una ſplendidè ornabit duos!
At timeat alijs qui nihil timet ſibi.
Ridens videbo forſan alieno meas
Prædam furori cedere abreptas opes
Labore in æquas nemqè ſpes longo ſatas;
Deoq; Dives, nudus ita nudum ſequar,
Animumq; curis liberum, totum ſinam
Vacare Chriſto: Fæda ſed *lucri* ſitis
Quot in ruinam ſponte præcipites rapit:
Quot opibus aſtra poſthabent, cælum ſolo!
Dum ſors favebit, unicum colent Deum
Sed dona dantem. *Nummus eſt multis Deus.*
Forſan medullas flamma populatrix ubi
Peruret imas, non deerit ori melos;
Et Sylva quamvis plumea in ſinu tremat
Infixa, riſus gaudium haud fictos dabit.
At quot, pudendæ *famis* ut fugiant minas,
Chriſto rebelles — *Neoph.* Omen infauſtum volet,
Ocius in auras. Chriſte, jam his flamen tuis,
Novis miniſtra ſpiritùs flammis ſacri,
Ne unquam *veterno* ſtratus antiquo cadam,
Ne rurſus animum Roma pertentet dolis,
Mundi vè glacies ſtringat immemorem Poli:
Sed perſeverem uſq; *tuus* in finem: en, tuis
Memet regendum trado *Scripturis*: erit
Amica *cordi* ſtella quæ ſemper nitet,
Scriptura cælo collocans mentem ſacra.

Exeant, ſe ſe Stringentes, brachijs mutuo-innexis innixi.

SCENA III.

Ars Magica evocat ab inferis Diſcordiam,

Diſrumpor, ægram lancinat mentem dalor,
Corrodit ira pectus & totâ calent

Ætna

Ætnâ medullæ. Delphicâ frontem nequit
Præcincta lauro Magica cum reliquis pares
Glomerare greſſus; ſcilicet faſtu vetor
Et contumaci perpetim ſuperbia
Quæ infame pandit fronte ſeptena jubar.
At non vetabor: Expedi vires dolor;
Accingere; facinus, ira, te dignum para,
Me dignum; age, invium concita umbrarum chaos;
Scrutare Avernum, Ditis obſcuros lacus.
Huc huc retortis ſquallidum *Diſcordia*
Caput colubris cincta, vitales age
Propera ſub auras, linque pallentum domos;
Agnoſce virgæ pondus ac robur meæ.
Audimur; imam concutit terram fragor.
Diſ. Quis me potenti vocis excitam ſono
Jubet profundam linquere umbrarum domum.
Et fumigantes ſulphure æterno lacus.
Ingrata calco limina; quis atræ ſtygis
Suetam tenebris reddit invitam ſolo,
Oculoq; rutilas me vacillanti plagas
Spectare cogit, ſolis inviſum jubar?
Mag. Ades, labantem territans vultu diem
Feralis Orci filia, Eumenidum ſoror,
Noctis propago, cernis ut lætans cohors
Septena tendit artium, ac jungens manus
Firmam tenaci vinculo ſtringit fidem.
Quid lenta ceſſas? jura contemni tua,
Jacere ſceptra cernis, irarum faces.
Ergo profundi Diva dominatrix chori
Quâ vafra trinas arte luſiſti deas
Diſcorde pomo & aureis captans dolis:
Emerge ſolers; appara fraudes novas;
Fætum furore pectus, & flammis quate.
Diſcor. Trahis volentem; parturit rabiem dolor;
Stygiuſq; totis æſtuat fibris calor;
Ardent medullæ, flagrat invitum jecur,

Ulltrixq; piceas dextra jactabit faces.
Verum, cupitæ, fare, quis fraudi locus ?
Mag Auro coruſcum cermis, ac ſeptem nitens
Monile gemnis, quod mihi Ætnæâ potens
Vulcanus arte, Dædalâ finxit manu.
Hoc tragica ſolers jurgia, hoc rixas ſere.
Diſcor. Ne Metue ; ſtygijs cuncta complebo dolis ;
Feralis artes ira diverſas aget ;
Et noſtra ſævas flamma ſuccendet faces.
Mag Orcus ſecundet, totaq; umbrarum cohors ;
Et quicquid odium ſpirat, horrorem, minas,
Rabiem, furorem, virus, Acherontem, ſtygem.

(*Exit Diſcordia, remanente Magicâ Sola, quæ inſidiarum exitum clanculùm attendit.*)

Mag. Nunc fuſca Ditis turba, pallentum cohors,
Et tu profunde Rector umbrarum fave :
Da, Pluto, veniam, clauſtra ſi furvæ domûs
Imumq; Ditis cantibus turbem Chaos,
Reſeremq; triſte limen Inferni lacûs,
Tetriq; fauces carceris : Totus procul
Ludos Avernus ſpectet ac probet meos ;
Spectet, ſuamq; porrigat cæptis manum.
Sed, en, citato commodùm accedunt gradu :
Hinc auſpicatæ fraudis attendam exitum.

SCENA IV.

Arithmetica, ſive Mathematica, ceu Genius Conventualium, *nimiæ cuidam* ſecuritati (*quam videntur ſibi obtinuiſſe certitudine plus quam Mathematicâ, partim cælitùs & partim humanitùs*) *frena, ambiguè tamen, laxantium.*

ARITHMETICA.

FRuſtrà tumentes Æoliæ minas
Et perduellis prælia Nerei

Pinus

Pinus *timebit*, dum per undas
Intrepide penetrare portum,
Datur *quietis*: quô rabies noti,
Et contumacis murmura Doridos
Excluſæ, tranquillæq; puppes
Membra novant lacerata ventis.
Amore quanto Marmoricum ſimul
Portum petebant Iliaci duces,
Poſt monſtra ſcyllæ, poſt Charybdis
Et Siculi rabiem profundi.
Hic nempe portus præcipites freti
Domat furores; jurgia Boſphori
Refellit, & ſævis tyrannis
Æoliæ dominatur aulæ.
Hic blanda mitis flamina Tethyos
Spirant quietem; marmora dormiunt
Laxata ſomno: non duella
Hic Zephirus Boreaſq; miſcent;
Sed ſibilantis leniter ambulat
Per prata Nerei vel Zephiri jocus,
Eurivè labentis ſuſurrus
Aut fremitus crepitantis auræ.
Non blandientes carmina *Virgines*
Lethæa cantant; ſed placidè premit
Halcedo ſuſpirans amores,
Et querulo vocat ore nautas.
Huc, huc minaci quiſquis in æquore
Laſſam carinam navita dirigis;
Contende curſum; pergè tutum
(Sat tumidis agitatus undis)
Intrare portum: nulla Caphareis
Hic flamma vindex fulget, & inſcios
Ducit phaſelos, dum repoſcit
Supplicia ob Palamedis umbras;
Sed per tumeſcens æquor Atlanticum
Et per rubentis marmora gurgitis

Tum

Tumultuantes fert carinas
Ad placidam requietis arcam.
Tu Typhis unus dirigis, & vagas
Puppes profundi, Pallas, Iö, & Georgi,
Tu portus, appelliſq; naves
E medijs equitare ſaxis.

Dialectica ſive Genius ſacro-Intinctorum ceu Hydro-adultorum exiſtimans ſe offendiſſu Lapidem ceu aurum Philoſophicum, Pauperiori licet Philoſophorum vitæ olim dedita, exultat ſe receptum iri in Palatium Palladis in Eloquentiæ Campis nuper erectum; atq; Mundi magnifico apparatu ceu Regimine donandam iri, vel quidem certe inibi jam tum aſſociandam; utpote omnia deberi electis (*quid ni &* Dialectis *vel* Dialecticis) *præ ſe ferre videtur.*

DIALECTICA.

SAlve expetitum limen & dudum meis
Iterata votis aula! quæ ſerum licet
Beas Clientem! ſub tuis poſthac juat
Signis mereri, puluere aſperſum novo.
Lares valete priſtimi & vili caſa
Munita culmo; ſcilicet miſeræ virum
Hæc ſortis ambit, illa felicem manet
Satis tenebris dedimus; indecorem diu
Segnemq; vidit Patria; at ambitos lares
Polumq; teſtor, nomen alatis feret
Super aſtra pennis fama; ſtramineo pudet
Levaſſe ſtrato membra & adducta manu
Captaſſe flumen: opere Mentoreo bibam
Poſthac ſuperba maſſica; ſoporem torus
Et provocabit Tyrius. Hactenhs meos
Cumulavit orbes malua, nunc Epulas rudes
Temnere palatum didicit; haud multa placet

Sine

Sine cæde menſa; nempe Phaſiaco meos
Petita ponto volucris exornet dapes.
Villoſâ quondam palla, & agreſti chamys
Cultu tegebat, nunc at Eoo rubens
Murice Tagoq; plurimo, grato toros
Pondere grauabit; lucidus digitos onyx
Diſtinguet auro: myrrha ſpirabit comis
Et omnis Arabum meſſis. Hoc brevi dabit
Auro tumeſcens arca: difficilis licet
Fuerit honoris aditus, inuadam tamen,
Tacitam repoſtâ muniens gazâ viam.
Eſt ſemper aulæ magna nummorum ſitis
Fameſq; habendi; nomen & honorum gradus
Famulantur auro; faſce Multiplici, brevi
Noſtra reſonabit porta: Magnates Juvat
Avidos videre alloquia ſperantes mea.

Geometria, vel genius Independentis *Exemptionis ceu Liberatis Omnimodæ, præſidentem in modum præfert ſuum hortulum domeſticum omnibus & omnium alijs quibuſcunq;*

GEOMETRIA.

PEnſiles tandem Babylonis hortos
Fama miratrix ſileat, nec ultra
Jactet inſomni vigilata monſtro
Poma ſororum.
Conferat quicquid ſenioris ævi
Fama miratur; decus omne priſcum
Cedet, & vinci gemet invidendi
Gloria Phæſti.
Purior tanto reliquos honore
Vincit hic hortus, rubicunda quanto,
Orbe jam pleno coeunte, flammas
Luna minores.
Ambit

Ambit hìc muros imitata fronde
Silva, quæ fures prohibet feraſq;
Ludit & vanos male pervicacis
Dæmonis auſus.

Arbor hìc ſævos inimica morbos
Militat contra, truculenta mortis
Tela, quæ frangit, virideſq; fructu
Sufficit annos.

Cælitum circa reſidet volucrum
Nobile examen, pariter canitq;
Conſonum, voces, nemus, & jocosa
Reddit imago.

Ver ubi pennà metuente ſolvi
Flore ſuccinctum volitat capillos,
Et maritantem Zephyrunt Favoni
Temperat aura.

Lilium hìc ſpirat niveo pudore
Gratius, murex alibi roſarum
Ardet, auratis melior vireſcit
Caltha capillis.

Floret hic quicquid creat alma tellus;
Bruma nec turpes hyemes reducit:
Et poteſt ſolus locus iſte, quicquid
Cætera poſſunt.

Quem mihi ſors cunq; dabit dierum, hac
Sede ponam; loca fabuloſa
Negligam, & quicquid latet orbe toto
Deliciarum.

Grammatica ſive Philologia ceu Genius intrepidè *Trementium, ſe ſe præparantium ad ſubeundos omnes adverſæ ſortis Impetus,* Publico *impendentes à Partium factionibus.*

GRAMMATICA.

TU, Chriſte, cordis lumen amabile
Depræliantes pectore fervido
Con-

Contundis ignes; invidiæ minas
Compeſcis omnes; te proterva
Attoniti ſtupet ira mundi.
Imbelle pectus, Chriſte, potentibus
Defendis armis; tu latus aſpero
Cingis mucrone; tu ſonorus
Arcus ades, pharetræq; pondus:
Quin jura fortis ſcit patientiæ,
Hoſtilis undæ fortius impetus
Perfert, & audaces tumultus
Aſſiduo lacerat duello.
Sublimis aulâ pectoris, aſperas
Rerum ruinas intrepidus videt:
Decreta vulgi illum haud retorquent,
Non celeri quatit aura plauſu;
Adverſa fati vulnera non gemit,
Nec blandienti tollitur orbitâ;
Immotus hæret, & ſereno
Tela videt volitare vultu,

Exeunt.

SCENA V.

Rhetorica, Aſtrologia, & Muſica in Eloquentiæ Campis ſpatiantur cominùs, cum Arithmeticâ, Geometria & Dialectica, Eminùs.

Rhet. EN, ut micanti Sylva pubeſcens comâ
Viridiq; pictum fronde prætexens latus,
Amæna pandit brachia; ut latè aureâ
Vocale Zephyrus dividens pennâ nemus,
Croceo rubentes evocat flatu roſas.
Aſtrol. Jam purpurato lucidas ſtellas ſinu
Tellus profundit, luce conſpirans pari
Cælum ſolumq; Veris alternat vices:
Solum coruſcis lucidum gemmis, Polus
Rutilo micantem ſydere illuſtrat diem!

Muſic. Ergo virentes ſylva dum laxat ſinus,
Dum blandiori lucidus Titan rota
Miti ſerenam ſpiculo accendit comam,
Amæna læto prata luſtremus gradu,
Viſtita flore prata: frondoſo juvant
Dumeta ramo gemmeum Sylvæ decus.
Hìc blandientem ſuſcitent fides chelym;
Totumq; feſto perſonet plectro nemus.

Dum Concentus Muſicus videtur ſe præparare ad inchoandum, cernitur Ars Magica indignabunda, in angulo Theatri.

Rhet. Quid illa Averni furiâ, monſtrorum parens
Propago noctis, Magica, quid noſtram impia
Chorum popoſcit, diguior ſtrygibus comes.
Mag. Diſrumpor. *Mu.* Atris dignior Lybiæ feris.
Aſtrol. Caliginoſo dignior ſtygis lacu.
Mag. Quid ira ceſſas? involà, ferrum rape
Ultrice dextrâ, fulmina & flammas jace.
Rhet. Infanda ponti bellua. *Muſ.* Umbrarum ſoror.
Aſtrol. Socia cruentis apta furiarum choris.
Mag Dehiſce tellus; Tartari ad lacus trahe;
Et dirâ ſtygio præda ſacretur Jovi.

Recedit penitus Ars Magica, é conſpectu.

SCENA VI.

Superveniens Diſcordiæ *Genius, albâ togâ talari indutus, inſtar* Angeli lucis, *inter liberalet Artes & ſcientias, quaſi aliud agens, rixas ſerit.*

Diſ. SErena mundi ſydera, Minervæ cohors,
Quibus coruſcâ ſplendor effulgens face
Polum laceſſit, cælitum ſtellans jubar
Regina Juno, fulgida veſtri chori

Recreata

Recreata luce, tortile hoc collo decus,
Septem *Catenam* lucidam gemmis, polo
Benigna mittit dona, quæ primas tulit
Ut inter *Artes*, regijs torquem notis,
Primi decoris teſſeram, ac ſignum gerat.
Rh. Ter grata ſuperûm dona, monumentum hoc (erit
Perenne Amoris, pignus æternum Deæ.
Muſ. Huc dona trade Cælitum; fulvo micans
Debetur auro *torquis*, & gemmis mihi.
Rh. Cur tibi? *Muſ.* Sonoræ concinit numerus Lyræ:
Septeua Vocum gemma diſcrimen notat.
Rhet. At mihi benignâ Nympha porrexit manu:
Nymphâ ergo, Primas, judice, ac torquem fero.
Aſtrol. Si quoquot æquor gemmeo Nymphæ pede
Cærulea carpunt Numina, aut verno aureos
Cincta capillos flore gemmantes, choris
Campos coronant, dicerent, nulla at fides
Ponduſvè dictis. *Noſter eſt*; certo polum
Quæ firma ſpecto lumine, æthereas domos,
Quæ tortuoſos Cynthiæ errantis gradus,
Solis labores, penſilis mundi arbitra,
Arcana cæli ſpeculor, aſtrorum vices.
Rhet. Quis ſic tumentes æſtus in præceps rapit?
Ægramq; turbans degener mentem calor
Urget medullas ſpiculis, flammis fibras?
Tranquilla paſſu redeat optato quies,
Et pax amæno pectora ſerenet gradu.
Muſ. Quæ pax? *Catenam* trade, vel pacem ultimo
Require Averno. Nulla pax; terram furor,
Bellum tumultus occupet, cædes, cruor.

Ars Magica in angulo ſuo rurſus ſub aſpectum ſe ſe ſubinde erigit.

Mag. O dulcis auri cantus, O mel, O melos!

Aſtrol. Quid tu caducæ perpetim terræ incola
Nos puriori quas beat cælum face,
Audax laceſſis? debitum nobis decus
Torquemq; redde, vel procelloſo truces
Ciebo ventos turbine; armabo Polum;
Ignita jaciam ſpicula. *Mag.* O cæli ſonus!
Rhet. Si tanta pectus urget armorum ſitis
Calorq; Martis, Ite, quò fervor rapit.
Terere protervis non vacat rixis diem.
Aſtrol. Abijt? triſulcum fervidi telum Jovis
Phæbiq; flammam teſtor, aut iſtæc tuo
Hodie catenam detrahet collo manus,
Aut ima ſummis vertet iratus dolor!

Exeunt, remanentibus Arithmeticâ & Geometria, nec non Dialecticâ confœderaturis.

Arith. Age ergo, deinceps fœdere hæc novo dies
Noſtramq; vinclo firmet æterno fidem.
Jungamus animos; Marte congreſſis pari
Par ſit triumphus. Trinaq; alternis geret
Torquem diebus: luce ſic ternas ſuâ
Septena parili gemma decorabit face,
Geom. Nunc ergo, noſter Claſſico hoſtili ſonet
Per prata Mavors; Arma vibrentur truci
Concuſſa fremitu; ſpicula admiſtis volent
Ambuſta flammis. *Dialect.* Totus Eloquentiæ
Campus profuſo ſanguine exundans fluat.

Exeuntibus Artibus, Magica ſubſiliens gaudio, ingreditur cum Diſcordiâ.

Mag. Triumphat animus; me beat votis Polus.
Peracta fraus eſt: vicimus; noſtro calent
Igni medullæ: Rixa diſcordes agit.
Nunc perge victrix Diva, vernanti comas
Tibi cinge fronde. Tota Styx plauſum paret:
Gratentur Umbræ; feſtus hic Orco dies.
Pandat trifauci Cerberus guttur ſono,
Raucumq; feſtâ voce protrudat melos.

Siccâq;

Siccâq; tandem feſta Danaidum cohors
Reſpiret urnâ; Siſyphi ceſſet labor;
Siſtat perenni tortus Ixion rotâ;
Captet fugaces pallidus dapes ſenex;
Langamq; fallax unda propellat ſitim.
Orcum repoſce; lurido refer Jovi
Regnare ſupero turbidam ſolo Stygem.
Diſc. Pereat rebellis turba, vipereum genus;
Septena furvæ victima litentur Stygi.

Exeunt.

SCENA VII.

Grammatica ſive Philologia, ceu Genius intrepidè Tremblantium, *ſub Analogiâ aurei velleris, & catenæ aureæ ab Arte Magicâ & Diſcordiâ nuper* donatæ, Medæam & Danaos ſua 'dona (*tanquam concatenata fatalis ſuperbiæ & invidiæ ſemina*)ferentes timentium, *abominatur ſociarum Artium de catenâ aureâ contendentium avaritiam & ambitionem, ſui animi interea interno aureæ pacis vellere & Virtutum catenâ pluſquam aureâ triumphans.*

GRAMMATICA.

O Quid ſuperbæ robora Græciæ
Audax *Iaſon* per ſcopulos trahis,
Nondumq; tentatas procellas
Palladio ſubigis caballo?
Inſana pubes quò ruis inſcia
Lentare remos? diſſociabili
Diſterminatas quid laboras
Oceano reſerare gentes?
Periculoſæ quod pretium viæ?
Aurata pellis ſcilicet, & mari
Mèdæa pejor, tot per æſtus
Impulit & miſeros labores?

Ille

Ille, ille Phryxi portitor, impigro
Dracone tutus, pelle ſuperbiens
Tam nobili, Regum catervæ
Principibuſq; feret ruinam.
Quanto parabis vellera ſanguine?
En, provocatis æquora fluctibus
Tot haurient duces, piantes
Jura feri temerata ponti.
Inſane Iaſon, flecte retro ratem:
Poſt pœnitebit, ceſſerit ignea
Cùm turba taurorum, ſuperbi
Raptor ovans rediturus auri.
Sejanus haud ſic obfuit inclytis
Equus magiſtris, qui ſpolium aureum
Demittit inſignes per armos,
Exitium laqueumq; nectit.
Feliciori vellere *Mens* mihi
Gaudens triumphat, non trabe Theſſalâ,
Amfractuoſos per receſſus,
Per rabidum pelagus petito,
Non comparato, ſanguine nobili,
Non flore Graio per maris æquora
Ignota collato, ſed illo
Quo *Probitas animuſq;* gaudet.
Tu pelle, *Pectus*, dives es, aureâ
Felixq;: Iaſon pauper, & impiâ
Cum Conjuge infelix, paternos
Ante oculos lacerante natos.

Chorus, vel, Interludium. *Exit.*

ACTUS IV. SCENA I.

Pallas cælum repetitura, audito Artium *Diſſidio, ſiſtit, Earumq; litigationes amicè componit.*

Pal.

PALLAS TAMESIS.

Pal. JAm vaſta mundi limina, æthereo ſolum
Permenſa greſſu, rurſus aſtrorum plagas
Et fulgurantes ſydere æterno domos,
Cælum repoſco. Stringat Hyblæam levi
Pennam ſuſurro Zephyrus, ac blandâ volans
Sublimis alâ, nubila aſpectu fuget,
Noſtramq; croceo ſternat affiatu viam.
Coruſca lætas ſydera expandant comas,
Reduciq; totus Palladi applaudat Polus.
Tam. Succurre Clemens Diva. *Pall.* Quis diro ſonus
Perſtringit aures murmure. *Tam.* Infauſto riget
Mavors tumultu. *Pall.* Quid? Gygantæo tremit
Rurſus tumultu Phlegra? Tartareo Mimas
Perrupit antro? flammeum Enceladi latus
Anhela Siculi culmina invertens jugi
Ætnæa rupit clauſtra? Porphyrion truci
Quaſſans præuſtum turbidus truncum manu
Superas minacem ſternit ad nubes viam?
Effare, mæſtum quis gravat pectus dolor?
Quod inauſpicatâ prædicas bellum tubâ?
Tameſ. Ruit citatus Artium in præceps chorus,
Totiſq, diro turbine cruentos parant
Campis tumultus: ira diverſas agit,
Et triſte demens pectus inſtigat furor.
Pall. Quæ caſtra, fare, quiſve caſtrorum modus?
Tameſ. Triſtem futuro ventilant Marti facem:
Infeſta celſum *Muſica* aſcendens jugum,
Diramq; bello Martia accendens tubam,
Ardentiori concitat plectro chelym.
Nec mora: ſecundo murmur allapſum Noto
Tacitum ſonanti verberat pulſu nemus:
Excita campis undiq; ferarum cohors
Ad plectra currit; ignea Hyrcano tygris
Perrumpit antro, flammeum quaſſans torum
Rigidaſq; ſummo ſurrigens cælo Comas

Leo

Leo cruentam jactat hirſutus jubam.
Urſi, dracones, cervus, Elephantes, lupi,
Et tota nemoris turba, feralis cohors
Pariter cruentas armat in bellum minas.
Hinc purpurato lucidos Urania
Diſtinguit artus ſydere; æthereo jubar
Scintillat aſtro, cælicum effulget decus;
Bis ſena vernam ſigna prætexunt comam:
Utroq; mundi cardine Æolij ruit
Excita clauſtri turba; Sithonios ferox
Revehit tumultus Aquilo, ferventi Notus
Euruſq; ſocium turbine accingunt latus.
Jam bella fervent, torta lethali volant
Emiſſa nervo jacula: ni rabiem premat
Minerva, totus Artium perijt chorus.
Pall. I, concitato prata permenſus pede,
Amice, celeri nuncium hoc perfer gradu;
Sileat cruenti dira Mavortis tuba,
Truciq; pariter arma ponantur manu.
Hæc læta greſſu prata concordi petant,
I, Chare, propera: hanc ægidem ſignum cape.

Exit Tameſis, *& paulò poſt ingrediuntur Muſica, Aſtrologia & Rhetorica; tum proſequitur,*

Pall. Quæ dira ſtygio furia prorumpens lacu
Inopina ſeruit bella? quæ tandem ferox
Tumultuanti diſtrahens artes tuba
Megæra ſævam pectori injecit facem?
En, quæ micanti nuper in prato cohors
Amæna feſto nemora luſtrabat gradu;
Queis fida certam dextra conjunxit fidem
Lætaſq; triplici vinculo aſtrinxit fibras,
Nunc ſæva ſpirant odia, nunc ferrum, faces;
Spicula rotantes mutuam in cædem ruunt.
Quid illa Stygias flexili ſpirant minas
Lunata cornu ſpicula? atq; atris trucem

Gravida

Gravida ſagittis pharetra molitur necem!
Muſi. Ut noſtra quiſquam ſpolia ferali manu,
Ovanſq; geſtet *Muſicæ* raptum decus?
Aurita citiùs nemora convellet chelys,
Acriq; totum diſtrahàm cantu ſolum.
Aſtrol. Triſulca ſummi tela torquebo Jovis,
Priuſq; ſuperas conciam in bellum faces,
Quàm noſtra quisquam decora, quàm laudem ferat.
Pall. Quæ rapta loqueris ſpolia, quam laudem, decus?
Elo. Hunc, fulgurantis lucidum ſidus plagæ,
Regina Superum Juno ſolis æmulum
Torquem metallo fulgidum & gemmis dedit,
Ut inter Artes quæ tulit primas, ferat.
Lis eſt benignæ dona quæ, Divæ, gerat.
Pall. Atrox, nefandum facinus, indignum nefas!
Non molle rigidum pectus umbonem decet,
Non veſtra ferrum dextra: hinc cædes, minæ,
Rixæ, tumultus, Martius cedat calor.
Infenſa diſcors tela ſeponat manus.
Me blandiores judice alternis modo
Certate verbis. Degener ceſſet furor.
Non Martis, *Artes*, prælium, linguæ decet.
Tu Aſtrologia contentionem occepta.
Aſtr. Ego meas vices *Muſicæ* committo, eandemq; cum illâ ſortem ſubibo.

SCENA II.

Muſicæ ſeu Reformatæ *Harmoniæ Oratio, pro aureâ Præferentiæ catenâ, tanquam Ajacis* Cypleo, *vel Tullij* Domo ſuâ, *coram Pallade, Contendentis, contra Rhetoricam, pro eâdem Catenâ, tanquam pro Nationalis & regalis Cultûs legali Primatu, peroraturam, & ſibi uni eum aſſerturam.*

MUSICA.

CUm attentiùs mecum ipſe perpendo quàm difficile ſit tecum in tuo regno contendere, quàmq; ardua in *Eloquentiæ Campis* cum Eloquentiâ ſuſcepta diſceptatio, minore profectò animo, hujus aleam pugnæ ſubirem, niſi eam Cauſæ meæ æquitatem ſperarem ac præſtantiam, ut quantum tu in loco, tantum ego in rei veritate, opis hæbeam & præſidij. Et ſanè ſi in Areopago ac ſevero illo Judicum conceſſu certamen ſubeundum foret, libentius hanc arenam depoſcerem, ubi non exordijs ſolùm & Epilogis præcluſis, ſed politiori etiam omni ſermonis ornatu præciſo & elegantia, Lis iſthæc non verborum præſtigiis, ſed ipſis Cauſæ meritis, non Orationis fuco, ſed rationum calculis & momentis, non ſermonis ubertate & copiâ, ſed argumentorum vi ac pondere deciderétur.

At verò cùm rem ipſum penitiùs paulò conſidero, non longe me ab Areopago abeſſe reperio: cùm enim divinum illum Minervæ virtutum cætum (an cælum?) intueor, ſeveriſſimum in eo quaſi Areopagi cujuſdam potioris ſenatum videre videor; idq; haud ægrè inducor ut credam, ubi Minerva adeſt, deeſſe Areopagum, & quidem cæleſtem, non poſſe. Tua ergò Dearum & Virtutum præſtantiſſima juxtà ac ſapientiſſima, recreat me ac reficit eximia præſentia, incredibilis perſpicacia, æquitas ſingularis, Virtus divina, novaq; neſcio quæ ſubito mihi lux oboritur & fiducia, cùm apud eam mihi dicendum animadverto, cujus nec errare prudentia, nec integritas ac juſtitia corrumpi, nec ſeveritas ab æquo & juſto, vel minimum detorqueri poſſit. Apud te ergo, nulla ſermonis

monis eleganiâ, nullis verborum lenocinijs, nullo peregrino ornatu, nec alio quàm Veritatis colore imbuta noſtra nunc procedat Oratio, eo plus, ut ſpero, momenti habitura ac fidei, quo minus fuci ac levitatis.

Nunc ergo ut ad rem propius accedam, ſi Natura (cujus cùm nos imitatrices eſſe gloriemur, non eſt cur judicium & calculos ejus ſubterfugiamus) ſi, inquam, Natura ex effectis ſuis omnibus, *illi*, dignitatis & excellentiæ palmam deferat, quod res maximè diverſas & contrarias divino quodam temperamento ac vinculo in ſe connexas habet; *Homini* nimirùm, in quo ignis cum aquâ, omniaq; inter ſe elementa, ſpiritus cum corpore, cælum deniq; cum terrâ, reſq; adeo propemodùm univerſæ incredibili quodam fœdere conſpirant, ut ob rerum varietatem Microcoſmus, ob vinculi admirabilitatem, Naturæ miraculum appelletur; quid ni inter Artes illa palmam cæteris præripiat, quæ ex ſimili contrariarum rerum temperie, diverſo vocum diſcrimine, chordarum gravium ſimul & acutarum, imparibus intervallis tanquam quibuſdam elementis, pulſu, concordiq, ſonorum diſcordiâ, Artis miraculum naſcitur & conflatur. Ita ut minus mihi mirum videatur, quod de divinâ Muſicæ vi & efficaciâ teſtatur Antiquitas, fæviſſima nimirum quæq; animalia, ſibiq; invicem maximè infenſa, amicâ inter ſe ſocietate & velut fœdere conjunxiſſe. Cùm enim illa ex tam admirabili contrariarum rerum inter ſe vinculo conſiſtat, quid mirum ſi in res etiam alias, adverſas licet ſibiq; in vicem diſſidentes, ſimilem ſui harmoniam ac amicitiam inſtillet. Immò verò in ipſius etiam Hominis animum ita ſecreto quodam influxu ſe inſinuat, ita languentem excitat, ſolatur anxium, commotum ſedat, omneſq; adeo illius affect-

us moderatur ac temperat, ut non quidpiam in terrâ ortum, ſed ipſius cæli particula, reconditas in ſe quaſdam Divinitatis ſcintillas habere, ac ſemina à Dijs immortalibus, hominibus conceſſa videatur, velutiMorborum animi Medicina levamentum laboris, curarum oblivio, vitæ requies ac ſolatium. Reginam verò humanæ mentis, moderatricem ac Dominam, Muſicam non appellarem, niſi id manifeſtis adeo demonſtratum argumentis cernerem & indicijs, ut inficiari nemo poſſit. Quoties (ut infinita propè alia omittam) quoties inquam, vidimus Alexandrum illum Magnum, Antigenida cytharam acrius pulſante, exilire è convivio, arma poſcere, equum conſcendere, vibrare haſtam, & quaſi in pugnâ eſſet, omnia vel Ducis vel Militis officia obire; *eodem* vero vehementem illum cantum remittente, & Spondæum, quod aiunt, canente, deſilire ex equo Alexandrum, haſtam ponere, & peracta quaſi pugnâ incæptum convivium quieto animo ac pacato perficere: Itaq; omnia pro illius arbitrio cantus agit; ut non multum à veritate aberraverit, qui Antigenidæ plectrum, clavem mentis Alexandri, vel frænum potius, quo eum quolibet circumduceret, appellarit.

At levia hæc, quamquam ſunt graviſſima, ſi cum alijs Muſicæ effectibus conferamus: Quam ſi propius intueamur, inveniemus non laboris tantum ſolatium, ſed virtutis parentem, non morborum Medicinam, ſed optimæ cujuſq; artis diſciplinæq; Magiſtram, non curarum ſolamen, ſed reipublicæ vitam, civitatum Moderatricem, alumnam Pietatis. Hoc intellexerunt illi, in cunctis ingenuis homine dignis Scientijs, præter cæteros, florentes Græci, omnibuſq; vel prudentiæ vel doctrinæ præſidijs inſtructi, qui numeris Muſicis deſcriptas

descriptas Reipublicæ leges pueris ediscendas tradiderunt. Quo profectò quid vel ad Musicæ laudem præstantius, vel ad splendorem illustrius, vel ad dignitatem & excellentiam honorificentius fieri vel excogitari potuit? Intellexerunt nimirum viri sagacissimi, tum demum se florentem habituros rempublicam, si tenera illa puerorum ætas virtutis studio & Legum observantiâ imbueretur; optimam vero maximeq; compendiariam ad virtutem viam esse, si unà penè cum lacte nutricis Musicam, cum Musica virtutem, cum virtute Leges musicè insugerent: Nec enim fieri posse putabant, ut quorum vita *Numeris*, ab ipsis propè incunabulis assuevisset, ad inordinatum positea quidquam & incompositum flecteretur. Hujus verò documentum rei in Cynethensibus, habemus, Arcadiæ populo, qui cùm præter circumvicinas nationes, agrestes reperirentur ac Barbari, & non a Virtute solùm, sed ab omni propemodùm humanitate pristinâ deflexisse, non etiam certè subitæ hujus mutationis invenerunt causam, quàm quòd *Musicam* (cui ex institutis suis ac legibus à pueritiâ ad trigessimum usq; ætatis annum, operam dare jubebantur) per diuturnum tempus neglexissent. Conferunt ergo iterum se se ad intermissum Musicæ studium *Cynethenses*, eoq; crescente, ita ferocia illa paulatim agrestesq; consuetudines evanuerunt, ut qui antea non hominibus tantùm Barbaris, sed ipsis etiam bestijs simillimi apparebant, nunc cum politissimâ quâq; gente & ad urbanitatem fictâ maxime & elegantiam, omni humanitatis officio, morumq; facilitate contenderent; nec tamen prius ad se quàm ad *Musicam* sunt reversi. Mitto ab alijs in Bello, ab alijs in conviviis, ab omnibus in Deorum templis, sacrisq; illis ritibus ac ceremonijs fuisse usurpatam.

Sed

Sed quid angustijs, nescio quibus, Musicæ laudes & excellentias coarcto? latiorem ei aperiamus campum, subeamus judicium orbis, mundus loquatur universus, non tacita voce sed publicâ testificatione, non verbis, sed honorum insignibus, non privatâ præsentis temporis celebratione, sed totius etiam Posteritatis signis, statuis, Monumentis. Adeamus Thebas, florentem illam in Græcia civitatem, in qua licet multi inventi fuerint facundi Homines & eloquentes, dicendiq; laude celebratissimi, nulli tamen honoris causa *Statuam* erectam cernimus, præterquam *Cleoni* Musico, cùm inflexione vocis, tum fidium cantu, peritissimo. Immò verò tantus ei honor habebatur & veneratio, ut capta bello & direptis furore militum Thebis, una hæc relinqueretur statua, tanquam trophæum Musicæ, singularisq; ejus excellentiæ decus & monumentum. Perfringebantur ubiq; fores, ædes diripiebantur, dejiciebantur; parietes, non ab ipsis Deorum templis abstinebatur, inundabant platææ, forum & cæteræ urbis partes cadaveribus opplebantur; nullum vel ætas à sævitiâ militum, vel sexus à crudelitate, vel dignitas à cæde defendebant: Stabat interim in medio illo tumultu intacta Cleonis statua, stabat inter ædium ruinas & parietinas civitatis, stabat inter armorum strepitum secura, non alio quàm Musicæ præsidio munita. Prodigij instar est, quod sequitur: fugiens in hoc civitatis tumultu, Thebanus quidam civis, magnam vim auri in hujus statuæ sinum conjecit, & quasi Cleonis fidei conservandam commisit; eoq; aliquot post annis, exstructis iterum Thebis, reversus, thesaurum illum universum integrum, prout deposuerat, recepit. Quod sanè ego, cùm penè ultra fidem sit, non referrem, nisi probatissimorum hominum, ipsiusq; adeo Romanæ Elequen-

Eloquentiæ Principis, Ciceronis tui authoritate confirmatum cernerem. Nec ſane ad minimam Muſicæ laudem facit, quod de Alexandro in hâc eâdem Civitate refertur; qui cùm à Thebanis toties irritatus, bello eos tandem viciſſet, urbemq; eorum funditus evertere ſtatuiſſet, hunc Muſicæ habendum honorem cenſuit, ut quam urbem Muſicâ exſtructam acceperat, alio quàm Muſica deſtrui nefas exiſtimaret: jubet ergo Iſmeniam in arte Muſicâ peritiſſimum, fides pulſare; quo flebile quiddam ſonante, ad numerum ſaltantes milites ab Amphione exſtructæ Civitatis Mœnia cantu diſſolverunt.

Age verò tranſeamus à ſole & pulvere in umbram, ab armorum ſtrepitu ad otia literarum, à clamore militum & caſtris, ad Scholas & ſubſellia Philoſophorum. Inveniemus profectò, quo quiſq; eſt in arcanis Naturæ & abditis indagandis ſagacior, eo majorem Muſicæ laudum admiratorem eſſe & præconem. Adeamus priſtinos illos Artium omnium Diſciplinarumq; Inventores, antiquitatis miracula, magiſtros veritatis. Prodeat lumen illud Græciæ, prodigium ingenij, Philoſophiæ Oraculum, *Ariſtoteles*; veniat divinus ille *Plato*, cujus tam ſuave ubiq; in dicendo & jucundum ingenium, tam ingenioſa elucet jucunditas, cui non apes mel in ore, ſed ipſi immortales Dij, cæleſtes quoſdam favos in ejus intellectu finxiſſe videantur. Quorum ille, nihil Muſicâ excellentius, nihil divinius, nihil ad virtutem hominum animis inſtillandam, accommodatius, in naturâ dari affirmat: ideoq; pueros hâc arte quàm primum cenſet imbuendos. Ille ad rectum Reipublicæ ſtatum, morumq; correctionem ita pertinere exiſtimabat, ut nec ſine Muſicâ florere Reſpublica quævis poſſit, nec cum eâ, vitijs corruptiſq; hominum moribus,

qui

qui venenum Reipublicæ ſunt, abundare. Immò verò non terram ſed cælum propriam Muſicæ ſedem affirmabat *Plato*, è cujus Orbibus, jucundiſſimam confici Harmoniam, & ſingulis ſphæris ſingulas inſidere Sirenas aiebat, quæ mirâ vocum varietate divinum quendam concentum & Muſicam conficerent. Veniat tandem decus illud Antiquitatis, Athenarum ſplendor, Græciæ ſidus, *Socrates*, qui quid de dignitate Muſicæ & excellenentiâ ſentiret, vel eo teſtatum reliquit, quòd annis provectus, affecta jam ætate & propè ultimâ ſenectute totum ſe ad Muſicæ ſtudium conferebat: hucq; divinum ejus dictum (ob quod, judicio Apollinis, totius Græciæ ſapientiſſimus eſt habitus) referendum cenſeo; *Hoc ſcio, quod nihil ſcio.* Noverat ritus & conſuetudines nationum propè omnium, callebat Oratoriam facultatem, magnamq; in eâ gloriam fuerat conſecutus, ad ſummam in arcanis naturæ perſcrutandis profunditatem, diſciplinarumq; & Artium apicem pervenerat ac faſtigium, & tamen *Imperitum* ſe aſſerit, eadem clamat, ignorantem profitetur: nihil nimirum ſe ſcire judicabat, dum *Muſicam* neſciret, nullamq; ſe artem didiciſſe arbitrabatur, dum Artem omnium præſtantiſſimam ignoraret. Cernite ergo Socratem cano capite, trementibus digitis, ſolutis ætate nervis, extremâ jam ſenectute, dies noctesq; ad Cytharæ ſtudium incumbentem; cernite vocem variis tonis & modulis inflectentem, cernite Muſicæ (ut ita dicam) immorientem; & tum demum ſtatuite, quam ille de Artis hujus excellentiâ opinionem conceperat, quo in pretio apud omnes, & exiſtimatione ponendam judicaret.

Hæc ſunt, Diva ſapientiſſima, quæ de Muſicæ laude dicenda habui, non quæ dici omnia poterant, ſed quæ omitti non poterant; nec ut meam

oſtentarem copiam, ſed ne arguerer inopiæ. At cùm, ut dici ſolet, verbum ſapienti ſat eſt, longiore ſuperſedendum Oratione exiſtimavi, ne nimiâ ſermonis prolixitate, ſagacitati tuæ diſſidere videar & ſapientiæ; Ea tamen dixi, quæ ſi *PALLAS* æquas aures præbuerit (æquas autem aures non præbere, *PALLAS* non poterit) nullâ dicendi facultate refelli, nullis verborum præſtigijs eludi, nullis ſermonis pigmentis, fucove Orationis obſcurari poſſint.

Dixi.

SCENA III.

Eloquentiæ (ceu Cultûs Nationalis anologice perſonnati) Oratio, *pro ſuo debito in reliquas Artes & Scientias Primatu, quem tandem, ſuâ Juridicâ indole Rhetoricè ſe ſe inſinuante & ſubmittente, in publicum bonum, obtinuit, non ſolùm PALALDIS judicio, ſed & ipſarum Artium & Scientiarum, Omniumq; unanimi conſenſu Ordinum Univerſorum.*

ELOQUENTIA.

SI aliàs unquam ingenij vires requirendæ, ſi Eloquentiæ nervi intendendi, ſi ubertas Orationis deſideranda & copia, id verò in præſenti mihi faciendum animadverto; ſi enim aliorum toties cauſis opem ultrò ſuam Eloquentia præſtitit ac præſidium, & in eorum laudibus copioſam adeo ſe præbuit & benevolam, dabitur ei, opinor, hæc venia, nulluſq; vitio vertendum exiſtimabit, ſi ſemel fuerit profuſior in ſuis. Cui enim non indignum videretur & abſonum, ut quæ Eloquentiæ fontes ſemper alijs aperuerit, ſibi ſuos clauderet rivulos, ut alijs officioſa foret, ſibi muta, alijs benigna, ſibi parca, & Omnium Pa-

trona, ſuo ipſius patrocinio orbaretur· At verò cum rem propius intueor, minore certè ſollicitudine, hujus aleam certaminis ſubeo, & in hoc ſtadium laudis, hanc dignitatis contentionem & gloriæ (quæ tamen vehementiſſima eſſe ſolet) tranquillo ac ſecuro animò ingredior; nam ita conſtitutam cauſam animadverto, ut non minus perdendo quam ſuperando, Victoriam in me collatam iri perſpiciam: fac enim vincere Muſicam, mihiq; modo hanc palmam præripere, dum tamen id præſtat, non vocum concentu, ſed ornatu verborum, non fidium tactu, ſed dicendi gravitate, non varietate inſtrumentorum, ſed Orationis ubertate, non canendo ſed perorando, quis non meridianâ luce clarius perſpiciat, hoc, quicquid eſt Victoriæ, in me tandem eſſe refundendum: dumq; *Numeris* mecum certat, non Muſicis, ſed Oratorijs, quis tam parum æquus eſt rerum æſtimator, tam nihil videns, nihil ſapiens, nihil intelligens, tam nullo propè ſenſu præditus, qui non videat palmam, non Muſicæ, ſed *E*loquentiæ eſſe conferendam.

Ne tamen, dum tantam præ me fero fiduciam, Prudentiæ limites tranſgrediar, & dum nimis ſecura, non nemini forſan parum videar verecunda, Ea in mei commendationem proferam, non quæ mea voluntas & ſtudium dictaverit, ſed quæ neceſſarij certaminis ratio popoſcerit & contentio. Quid verò ad Eloquentiæ laudes enarrandas & præconia, ulla opus eſt Orationis ubertate vel copia? me vel tacente, rerum Univerſitas loquitur omnis, & muto quodam ſermone, Eloquentiæ ſplendorem profatur, excellentiam declarat, teſtatur amplitudinem. Clamant urbes omnes & civitates, & quotquot uhiq; ſunt hominum cætus, qui in agris antea & ſaltibus diſſipati, vel in ſpe-

luncis

luncis abditi, ferarum ſimiliores quàm ſui, tum demum homines eſſe cæperunt, cùm lux illis & claritas Eloquentiæ effulſit: divinâ nimirum ejus vi & efficaciâ, agreſtes illos mores & barbariem excutientes, mutuam primó ſocietatem cummuniſq; vitæ rationem ſuſcepêre. Clamant utiq; terrarum Reſpublicæ ſalutaribus per eam formatæ Inſtitutis, firmatæ ac legibus. Clamant agri campiq; omnes, qui ſteriles antea & infæcundi, ejus operâ ſubacti non tam uberem poſſeſſoribus, frugum, quàm Eloquentiæ laudum ſegetem ſubminiſtrant. Ita ut, quocumq; oculos convertam tot quaſi mutos intueor Oratores, qui tacitâ quadam eloquentiâ ejus ſplendorem prædicant ac præſtantiam.

Age verò egrediamur aliquando è mænibus & clauſtris civitatum, ab otio forenſi & umbrâ, ab amænitate agrorum, ad Militum caſtra, clangoremq; tubarum ac ſtrepitum. Id nimirum habet Eloquentia ſinguiare, ut nullo ſtrepitu impediri, nullo tumultu obrui, nullis licet turbulentiſſimis motibus concuti aut perturbari poſſit. Silent Leges inter arma, jacent eximiæ quæq; Diſciplinæ, Artes conticeſcunt, & ad minimum rumorem belli & famam contremiſcunt. Eloquentia verò etiam inter ſigna verſatur & ſtationes militum, non ſtrictos horret gladios, & intenta hoſtium jugulis ſpicula, ſed vim ſuam omnem & ſplendorem, non in civitate tantum & togâ, ſed ſago & caſtris retinet ac conſervat. Quoties vel apparatu inimicorum vel numero conterritos milites vidimus pugnam detrectare, ſe ſe intra vallum & munimenta caſtrorum metu continere, hoſtes ignaviam ſibi & ſocordiam exprobrantes, æquo animo audire, aliaq; hujuſmodi indigniſſima vel perpeti vel patrare; cùm

Imperator, Oratione habitâ, invocatoq; (ut ita dicam) Eloquentiæ ſubſidio, ita animos omnium immutavit, ita admotis veluti quibusdam flammis & facibus, ad prælium incendit, ut non ijdem qui anteà, ſed novi quidam Eloquentiæ incude ficti veluti & efformati ex ejus Officina repentè proſilijſſe viderentur. Ultro ergo ſe ſe ad manus cum hoſte conſerendum offerunt, poſtulant ſignum pugnæ, portas caſtrorum aperiunt, vallum ſuis ipſi manibus revellunt, & ex omni parte erumpentes, exultantes antea Inimicorum copias vel in fruſta conciderunt vel terga ignominioſè vertentes, turpi ſibi fugâ conſulere coegerunt. Ita ut quotqout ubiq; terrarum ſint pulſi exercitus, tot Eloquentiæ Victoriæ, quot Inimicorum ſpolia, tot Eloqentiæ ornamenta, quot ſigna in Divorum templis appenſa, tot non tam hoſtibus erepta, quàm trophæa quædam divinè perorantis Eloquentiæ erecta videantur.

At vero leviora forſan hæc dixerit quiſpiam, eoq; minus ad Eloquentiæ laudem ſpectare, quo plura ſecum in eandem ſocietatem Gloriæ rapiant & commercium. Partem nimirum ſibi aliquam vendicat Imperatoris prudentia, partem militum fervor, loci opportunitas, peritia Ducum: unde cùm tot partes auferantur, quota tandem particula laudis Eloqentiæ relinquetur? Ea ergo nunc proferam, qnæ præſtitit Eloquentia, eo majore glorià, quo minore ſubſidio; illa nimirum quæ nullius ope & auxilio ſint patrata, eo certe minus periculum eſt, ne quiſquam partem ei aliquam laudis præripiat, quo pauciores vel nullos potius habuerit adjutores. Conſiderate urbes quaſq; munitiſſimas, vallo & maris undiq; firmiſſimis ſeptas, diſpoſitos in mœnibus vigiles, portas ferro & vectibus occluſas, nihil deniq; deeſſe, quod

quod vel ingenium hominum excogitare, vel elaborare dilgentia, vel Ars & Induſtria efficere poſſit. Has ita cepit & expugnavit Eloqentia, ut ſuo ſe jure abdicantes, portas ultrò aperirent ac veluti fortitudinis ſuæ & virium oblitæ totas ſe alterius Nutui traderent ac voluntati. Teſtis profectó locuples hujus rei, Romanorum ille terror *Pyrrhus*, qui poſt tot gentes vi & armis ſubactas, tot oppida expugnata, tot hoſtium copias fuſas, tot fortiſſimos duces fractos bello & fugatos, qui tantum rerum geſtarum luce florebat, ut nullus ei par robore animi, reiq; militaris gloriâ reperiretur, plures tamen urbes devictas ſuoq; addictas imperio dicere ſolebat, *Cyneæ* facundi hominis familiaris ſui Eloquentiâ quàm ſuis armis; nullamq; ſe urbem inexpugnabilem exiſtimare, non quòAſinus onuſtus auro, ut Philippus ille Macedo, ſed quò *Cyneæ* Eloquentia introduci poſſet. Quo quid ad Eloquentiæ aptius commendationem, quid ad ſplendorem illuſtrius, quid ad divinam ejus vim & potentiam explicandam accomodatius proferri potuit? nihil ſcilicet tam firmum & validum quod Eloquentiæ vires non perfringant, nihil tam forte quod ejus robur non comminuat, nihil tam munitum, quò ejus non ſe virtus inſinuet, inſtillet ſuavitas, pervadat potentia.

Jam veró ſi alias Eloquentiæ excellentias perpendamus, apparebit profecto non in expugnando fortior quàm firmior in defendendo, non ad hoſtium copias frangendas potentior, quàm ad omnem vim & impetum propulſandum accommodatior, non ad urbes capiendas validior, quàm ad illos, qui ejus præſidio ſepti ſunt ac muniti, ab omni damno & injuriâ propugnandos ſecurior. Quod ſi dubia fortaſſe cuiquam hujus rei videa-

tur

tur fides, adeo luculentum ſui hâc in parte, non in angulo aliquo aut abſtruſis quibuſdam latebris, ſed in theatro orbis, in arce omnium gentium, in ipſa luce Romani Imperij, dedit ſpecimen, ut cæcus ſit oporteat, cui tanta lux & ſplendor non affulgeat. Conjicite mentis oculos in *Antonium illum*, virum omni gravitate dicendi, Eloquentiæq; præſidijs inſtructum: videte, ad eum in carcere trucidandum irrumpentes milites, cèrnite truci vultu, ſtrictis gladijs, mucrones in cervicem ejus ac jugulum intendentes; quid expectatis aliud niſi ut in fruſta diſſectus ac dilaniatus univerſum ſanie carcerem & ſanguine conſpergat? audite tandem, & divinam Eloquentiæ vim agnoſcite; confugit ad *Orationis* arma Antonius, & mellitâ ſua facundiâ ſermonem ad omnem lenitatem & man ſuetudinem inſtituit. Quid multa? vix ejus prima audita eſt *Oratio*, cùm hærent obſtupefacti militum animi, decidunt è manibus gladij, exſiliunt ex oculis lachrimæ, menteq; ad humanitatem, vultu ad ſerenitatem conformato, recedunt. Recedunt, inquam, non tam ante feroces, quàm nunc mites ac mauſueti, non tam anteà crudeles, quàm jam comes & benigni, non tam antea ad feritatem, quàm jam ad urbanitatem compoſiti & clementiam. Quod vero hominis animum uni tibi ita vendices, ut tuum regnum appelles, intenderet, credo, tibi litem Dialectica, intenderet Philoſophia, aliæq; nobiliores ſcientiæ, hæreditate per te orbatæ & quaſi in exilium pulſæ, ni glorioſè magis hoc à te quàm ſerio dictum arbitrarentur. Ego verò quoad me, ad quam non minimum in hominis animum imperium ſpectare arbitror, rem ad eas Civitates non illbenter detulerim, in quibus graves aliquando tempeſtates & tumultus ſedatos & compoſitos vidimus.

Ponite

Ponite ergo in urbe aliquâ populum ſeditione & diſcordiâ inter ſe vel cum Magiſtratu diſſentientem, ponite, ſtrictis undiq; gladijs in forum ſummo impetu concurſantem, jamq; in mutuas cædes & vulnera ruentem. Quid tandem remedij? quis furorem mitigandi, quis pacem componendi modus? aſcendet, opinor aliquis in ſuggeſtum, & vel fides pulſet, vel tibias inflet, ut harmoniâ illâ & concentu *Concordiam* in hominum animos inſtillet. At ſpiritum, mihi crede, prius efflabit omnem quàm id efficiet. Quod ſi fortè Vir tum quiſpiam in medium Proceſſerit, dicendi gravitate & Eloquentiâ inſtructus, ſermonemq; de pace inſtituerit & concordiâ, quod non ſemel contigiſſe vidimus, domum ſe quiſq; ſuam actutùm recipient, poſitisq; armis, eo majore inter ſe amicitiæ fœdere conjungentur, quo majore prius odio diſſidebant & diſcordiâ. Immo verò apud ſapientes illos ſuæ ætatis hoc in more fuiſſe affirmat Plato, ut ſi quis gravi affectus morbo, animiq; & corporis cruciatibus afflictus, minus æquo animo ſuam ferret invaletudinem, nauſeâq;, ut fit, potionem ſibi à Medico præſcriptam ſumere recuſaret, adducebunt eò Oratorem aliquem, qui & dicendi ſuavitate atrocitatem morbi temperabat, & ſermonis vi & elegantiâ eò ægroti animum impellebat, ut non præſcriptam tantùm Medicinam ſumeret, ſed ultrò ſe urendum ſecandumq; præberet.

Quoniam autem ad ſtatuas & honorum inſignia, provocas, nullum equidem certaminis genus ſubeo libentius, nec latiorem ullum campum Eloquentiæ laudibus aperiri poſſe exiſtimo. Adeamus ergo clariſſimum illud Artium omnium, ut ita dicam, Gymnaſium, Græciæ Gemmam, Literarum paleſtram, Doctrinæ domicilium, ſapientiæ omnis

omnis Diſciplinarumq; inventrices Athenas (quas honoris cauſa nomino, libentiuſq; authoritatem uſurpo, cùm Minervæ tutela & præſidio frui animadverto) hìc ergo, ut cæteros præteream, quibus ſingulis ſuus à Poſteris habitus eſt honos, uni Demetrio Phalerio non *una* erecta eſt ſtatua, ut Cleoni Thebis, non duæ, non decem, ſed trecentæ omninò & ſexaginta: tot nimirum quot dies in anno: quo quid aliud innuebant, quàm Demetrij Eloquentiam Athenis veluti ſolem quendam eſſe, fulgore cujus & radijs perpetuus ille felicitatis annus conſervabatur, eiq, lucem ſuam omnem acceptam ferebant & ſplendorem.

Quod tandem a *Socrate* argumentum ad tui laudem & commendationem deducas, hic tuam ego prudentiam & acumen vehementer deſidero. Quota, quæſo, hæc pars eſt *Socratis*, quam Muſicæ tributam cernis? dederat ætatis florem, & ſuccum, ut ita dicam, ac medullam ingenij Oratoriæ facultati, dederat maturiores annos altioribus Philoſophiæ ſtudijs & naturalium rerum indagini; ultimam tandem ſenectutem & cadaver quaſi Socratis, Muſicæ; caligabant ætate oculi, deficiebant vires, corpus effætum erat & languidum; mens vigore ſuo priſtino & acumine deſtituebatur; non erat aptus literarum palæſtræ, non Oratorum ſtadijs, non ſubſellijs Philoſophorum: ne ergo nihil ageret, ad Muſicæ ſtudium, quantum erat ex *Socrate* relictum, conferebat. Si ergo pertinacius fortaſſe ultimo huic Socratis facto inſiſtas & tuum eſſe *Socratem* clamites, provoco á Socrate ad Socratem, á Socrate penè mortuo ad Socratem vivum & vegetum, á Socrate tum corpore tum animo langueſcente, ad Socratem ſummis ingenij & judicij, ut ita dicam, nervis ac viribus utentem, à Socrate deniq; ſenio prope & morbis confecto;

ad

ad Socratem mente adhuc & ſenſibus integris in ipſo ætatis vigore florentem; quantumq; Socrates huic præſtitit, tantum opinione ejus & judicio (abſit verbo invidia) Eloquentia Muſicam antecellit.

Quid verò ad gloriam Eloquentiæ & ſplendorem illuſtrius excogitari potuit, quàm id quod Pompeio, hàc in parte vere Magno, vidimus contigiſſe, qui poſt tot terrâ mariq; Geſta feliciter & confecta bella, poſt erecta ubiq; penè terrarum, Victoriarum trophæa, poſt tot de potentiſſimis Ducibus, omniq, pænè Orbis parte actos triumphos, tot urbium divitijs, tot gentium ſpolijs tot Regum, ut ita dicam, coronis ornatus, Poſſidonij facundi hominis & eloquentis, bonarumq; Literarum præſidio inſtructi, domum adiens, Lictores vetuit fores de more pulſare, faſceſq; laureatos ejus januæ ſubmiſit; ac major orbe minorem ſe Poſſidonij eloquentiâ eſt profeſſus. Sicq; Magnus ille Pompeius, qui mundum antea trophæum ſibi, ſe Eloquentiæ trophæum erexit.

Nunc ergo ut extremum aliquid habeat Oratio mea, ſi te ergo non præclaram faterer & eximiam Scientiam, tam parum eſſem mentis compos, quàm ab omni humanitate aliena: Sin primam dabitur mihi, ſpero, hæc à te venia, nec ægrè laturam confido humaniſſimam Scientiam, aut exiſtimaturam, quidquam me de ſuis laudibus detraxiſſe, dum produxi meas. At habearis, per me licet, vel tu vel Aſtrologia, Artium præcipua, fertote dignitatis palmam, Inſigne excellentiæ: malo non videri Artium prima, quàm ut Artes per me pereant ac diſſolvantur. Sumite hunc *Torquem*; geſtate, ut veſtri ſplendoris teſſeram, præſtantiæ ſpecimen, Victoriæ argumentum: malo has Gemmas perdere, quàm ut pretioſiſſima *Concordiæ*

gemma, quæ hactenus ſemper inter Artes floruit, per eas amittatur.

Dixi.

SCENA IV.

MUSICA.

EGo verò nullà re ægrius vinci me paterer quàm comitate & manſuetudine: cùm ergo *Torquem* mihi tam humaniter offeras, tu eum Potius habe, vel *Aſtrologia*, dum priſtina inter nos pax reſtituatur & *Concordia.*

ASTROLOGIA.

PArùm ego me liberalem Scientiam exiſtimarem, & hoc tam gravi dignam nomine, ſi tam graviter à me contra urbanitatem peccatum eſſe paterer, ut facilitate à vobis & benevolentia vincerer. Quare ferat, per Aſtrologiam licet, *Torquem* vel Eloquentia vel Muſica, dum omnes è nobis deinceps rixæ & Simultates auferantur.

PALLAS.

NIhil unqnam mihi contigit jucundius, quàm cùm vos novo amicitiæ foedere vobis invicem conciliatas & unitas video. Id nunc operam imprimis date, ut hanc pacem & concordiam omni deinceps humanitatis officio ac benevolentiæ foveatis. Hocq; perſuaſum habeatis velim, eo majorem cujuſq; dignitatem fore, quo mutuis vos radijs ac ſplendore magis adornetis. Hunc verò tandem ex ſeptem gemmis contextum *Torquem*, non tam excellentiæ ſignum, quàm fomitem

tem *Diſcordia*, cùm feſtus hodie Calydoræ dies ſit, illi, honoris cauſâ, conſecrandum cenſeo. In quâ Martyre, licet primas ſibi ſumat Eloquentia, nulla tamen eſt veſtrùm, quæ non partem ſibi aliquam & meritò vendicet. Ite & pompam inſtituite; hìc veſtrum ego reditum præſtolabor, & conquiſitos Magicæ & Diſcordiæ ſocios huc adducendos curate, meritis poſtmodùm addicendos ſupplicijs.

Chorus Muſicorum vel Interludium, vel Scena Muta.

ACTUS V. SCENA I.

Sipario diducto, & inſtrumentis Muſicis nondum penitùs ceſſantibus, ingreditur Monarchomacus cum cæteris Magicæ & Diſcordiæ ſocijs conſilium inituris, De ſuæ Salutis modo ineundo, & fugæ.

Monarchomacus, Theomacus & Anarchicus.

Mon. COhibete plectra, doctus haud tangit meas
Nunc cantus aures: tympano cedant (fides,
Modoſque blandos Martius pellat canor.
Cruor cruorem poſcit: ut inultus preces
Effletur inter animus? es numen mihi (*Stringit*
Vindicta, vindicta unicum; tuas lito *gladium*)
Fugiente ad aras ſpiritu; emittam libens,
Modo *Artium* omnis pereat in æternum cohors.

THEOMACHS.

SIſte manum; non illis, ſed tibi nobisq; parcis. Mihi certiora dudum ſunt Auguria, nobis ſiniſtra: ſermones Civium minimè obſcuros collegi,

gi, noſtram indicantes perniciem: Haud difficilis mihi conjectura eſt: novi delatores; Eutropius eſt, ſenatorum graviſſimus, & Euprepius in equeſtri ordine primas obtinens: hi ſunt qui noſtra omnia, geſtus, voces, actiones notarunt. *Anarchicus:* Sera eſt vindicta quam in abſentes ſpiras. Dic, age, quæ ratio ſalutis ineunda? Placet animi robur, quo morte ſpretâ, ſoli dignitati conſulendum putas: ſed ut ne quid timide, ſic nec temere & imprudenter agas, vide. Quid parva manus aduerſus urbem totam? Agite, ſi tradendi noſmet conſilium non arridet, diſperſi ſaltem latebras quæramus, & abdamur, donec indagandi ardor deferbuerit; poſtea patebunt Effugio portæ. (*aliqui ſocij ſe proripiunt é Scenâ*) Abiere? Soli relinquimur? animus præſentit malum. *Theomachus*: Audis, Anarchice? quis iſte ſonitus? quis ſtrepitus armorum aures ferit? Quo me convertam? quis evadendi modus? fuge, fuge, Anarchice; miles adeſt.

(*Interim intrant milites Prætoriani, duce* Polarchâ *cum ſuis captivis, cæteris ſcilicet* Magicæ & Diſcordiæ *ſocijs, ſed Monarchomachum, Theomachum & Anarchicum, renuentes capi, lethali vulnere confodiunt.*)

Polarcha. Miles, conſtringe cunctos compede, recuſantes preme, rebellantes perime. *Gelopragmon.* Tu ipſe modo cum Satrapâ, alijſq; nobis conſentientibus, eas quas nunc revereris, leges, Arteſq; damnabas. *Polarcha*, Proterve Mendax, ſemper an noſtras trucis pulſabit aures carmen infauſtum ſtygis? Inauſpicatos, juro, ſi rurſus ſonos evomere pergas, gutture impuro mea linguam revellet dextera; atram linguam doma.

Exeunt aliquot milites cum captis ut illos ſiſtant coram Palade, remanentibus etiam aliquot cum Valneratis.

Mon.

Mon. O triſte vulnus enſe confoſſum eſt latus,
Abeunte pronus ſpiritu in terram labo.
Heu quò fidelis turba ſociorum fugit?
Solus nè linquor? vana ſociorum fides!
Tot poſt amoris pignora, extremis adhuc
Linquitis amicum rebus, infidi mei
Quondam ſodales? fidus an perijt amor?
Horrore circùm cuncta Tartareo rigent.
Mors ingraveſcit; vulneris creſcit dolor;
Sed ſæviore cuſpide, heu ſcelera reum
Animum cruentant: ſæva vel calamos jacit
Mors leniores: quicquid âdmiſi miſer,
Proponit oculis dira furiarum cohors.
O vita deteſtanda! Delitiæ truces!
Hæc vos ſequendo, capio num præmia miſer!
Heu ſerò, nimium ſerò mihi animus ſapit;
Et cæcitatem damnat infelix ſuam.

Anarchicus ſuper terram vulneratus.

Anar. Timor flagellat corda, nec datur tamen
Cauſam timoris noſcere: inſolito quatit
Horror tumultu pectus, & letho acrior.
Mens tetra! Mens feralis! horribili ſinum
Vox lacerat iſta verbere! heu novâ fodit
Plagâ medullas Ditis interni ſonus.
Internus hoſtis, conſciæ mentis pavor,
Animuſq; culpæ plenus, eſt terror ſibi:
Mens ipſa teſtis criminum occulto ſecat
Pectus flagello; carnifex ſubdit reis
Formido fibris vindices ſcelerum faces.
O triſte tonitru! ſævus heu nimium ſinus!
Quæ rexit ortus ſtella non felix meos!
Morior inultus; rapitur é manibus ſcelus.

(*Theomachus item vulnere collapſus & expiraturus*)

Theom. His me Clientem mundus & fallax caro
Donis rependit? Tartari horreſco faces.
Jam habitura nullum terminum hic fero miſer

Tor-

Tormenta ! Falſæ ſanus, O, utinam impetus
Rationis atros, precibus aſſiduis, fide in
Deum, domaſſem ! melius ah melius miſer
Nihilo involutus uſq; jacuiſſem meo !
O ſi rigeſcant membra ! marmoreo velim
Quàm ſtare rupes ore ! in æternum libens
Sub lapide gemerem bufo. Mens terror ſibi eſt.
Aſpicio cælum ! vindices timeo faces.
Deſpicio terram ! nigra Plutonis reor
Hiare regna. Siſte properantem nimis
O ſiſte curſum, *Sanguis*; heu tecum rapis
Miſerum, ad Avernum: tempus exiguum meis
Concede lachrimis: parva, quam poſco, eſt mora.
Heu gelida membra morte vicinâ labant;
Et claudit oculos noctis æternæ ſopor.

Avehuntur e Scenâ.

SCENA. II.

Apparet Pallas in ſolio ſedens, cui a dextris aſtant Cleobulus, Philaretus, Theophilus & Ludonomus: ſiniſtrum latus tegunt Satrapas, Polarcha, Euprepius, & Symmetrius. Factioſi & ſeditioſi Magicæ & Diſcordiæ ſocij, Ameles, Aneumetritus, Gloſſalgus, Gelopragmon, Panurgus, Hæretico-Romano-ſacrificulus, Schiſmatico-Arianus, & Sociniano-Sectarius, catenis onuſti adducuntur a militibus coram Pallade, quæ Junioribus parcit & Ineptioribus, at ipſos Veteratores continuò proſcribit & in perpetuum amandat exilium, necquicquam ſolitâ Hppocriſi ſe ſe protegentes, & Aulicorum nonnullorum favore.

Gloſſalg. OMe infelicem ! parce princeps clementiſſima, parce miſeris. Nunquam nos pacem Albionopolis turbare, in animum induximus. *Ameles.* O, parce miſero, parce decepto,

to, Dea. *Panurgus.* Mentis infandæ pudet. Parce, parce, Diva, Scelus reo dona fatenti.

Aneumetritus. Te per beatos Cælitum precor greges. *Gelopragmon.* Per ſacrum quicquid Polus aut terra ſtringit, comprecor miſeri mei Miſerere, Diva. *Pallas*: Facitis pro ingenio. Utcunque Venia indulgetur hac vice, eâ tamen lege, ut, Sanctior poſthac tuba vos ad arma ducat; ſanctius bellum vocet.

Socin. Succumbo tandem: Chriſte, ſideream pre-
(cor-
Præpande lucem: da, reluctantes diu
Frænare ſenſus, teq; teſtari Deum.
Schiſm. Arian. Errata damno: credo jam æquæ-
(vum Patri
Natum, Deoq; profluum à ſummo Deum.
Et par utriq; ſpiritûs numen ſacri.
Credoq; pariter, quicquid arcani latet
Folio ſub omni legis: ejuro Deos
Socini & Arij numina efficta. Oh, pudet,
Pigetq; vitæ, ſcelere numeroſo gravis.
Pudet, pigetq; criminum: immenſus dolor
Urit medullas; corq; repetitis ferit
Vulneribus: ipſe ſacra Chriſtiadum hactenùs
Myſteria deriſor meo expoſui joco,
Sanniſq; mundi: luſit in Chriſtum lepos
Factum in Deum: ſed tempus, infandos nimis
Poſuiſſe ludos: altera Arium vocat
Perſona: pectus melior inſedit Deus.
Miſerere Princeps. *Pallas.* Serus ad preces venis.
Quàm bene doloſas Hiſtrio partes agis!
Pol. Quæ gens, quis orbe durus Arctoo Geta
Fraterna rumpat vincla? quis reum ſuo
Sic ingementem crimini, & multo nefas
Quæſtu fatentem ſpernat? *Sat.* hoc Regni Duces
Aequavit

Aequavit aſtris; ferre ſupplicibus opem,
Levare lapſos, tegere fugientes lare.
Cleob. O credula nimis rebus in dubijs fides!
Cavete proceres, ne qua diverſos agat
Fabula Sinonis. Mimus in vultu dolus
Capit theatrum, corde dum peſtis latet.
Teſtor, doloſo flamma ſub cinere calet.
An quod coactus ora diffundat liquor,
Planctuq; pectus reſonet, exacti decet
Credi dolorem ſceleris? & ſaxis natat
Aliquando ſummis unda, nec mollit tamen.
Intenta prædæ, fingit humanum vorax
Hyæna quæſtum: ludit in luctu ſeelus,
Conditq; pectus atra ſanguineum toga.
Philar. Difficile quàm ſit, decora virtutum ſequi
Vitia peroſum, quiſquis Acheronti ſemel
Devovit ævum, turba teſtatur Maga:
Meliora rarus, Dite deſerto, ſapit,
Qui Magica verſat. Optat urbanos lares,
Fraudis theatrum nempe, quo priſcum ſcelus
Contagionis ſpargat, & Chriſti gregem
Per fanda, per nefanda ſub ſtygem trahat.
Pallas. I, peſtis: oras exul horrentes pete,
Ubi nemo ſpiret fraude quem lædas tuâ.
Ariana peſtis, pergat, & fines metu
Contage cives, templa criminibus levet.
Hær. Ro. Sacrif. Quouſq; miſerum pergis immiti (pede
Premere jacentem? nullus irarum modus?
Nec ſat malorum conſcius fundit pavor
Animuſq; culpæ plenus, & nunquam ſui
Securus? O tormenta Tartareis quoq;
Miſeranda monſtris! fabor? O quoties mihi
Cruenta ſcelerum flagra dilaniant ſinus?
Non ſic ferinas vultur in carnes furit,
Ut animus in ſe ſævit admiſſi reus.

Non

Non lux, quietis ſpatia, non tenebræ ferunt.
Tenore nexus it catenato dolor,
Sic inter æſtus mentis attonitæ vagor
Procella cæli, turpe ludibrium ſoli.
I, nunc, & ignes ira vivaces alat :
Crudeſcat odium, ſi quid ærumnas potes
Augere noſtras. Quid malis cumulas mala,
O Diva ? Nondum patimur exitii ſatis ?
O, parce, faſſo ! *Pallas.* Fraudis agnoſco viam.
Non me doloris ſuccus eluſam capit,
Nec doctus imbres oculos effuſos dare.
Depone fraudes : vindicem exora Deum
Scelera peroſus. Verus in luctum dolor
Mentiſque ſanæ ſenſus in lachrimas agat.
Tum deprecare. *H. R. S.* Saxeus gelat ſtupor,
Per aſtra teſtor. *Pall.* Aſtra mendacem probant.
H. R. S. Per Jura terræ. *Pall.* Scelere quæ lædis tuo.
H. R. S. Per fas Tonantis. *Pall.* Quem laceſſitum time.
H. R. S. Per Tartari ignes. *Pall.* Queis voves falſus caput.
Abeſto, Mendax. *H. R. S.* O Soli, O cæli fidem,
Quid me fatigas ? Parce vel perde. *Pal.* Pereas.
Tuâ officinam ſtruxit in fibrâ furor :
Crudelitatis carnifex diræ furor.
Hoc fabricantur cordis implacidi ſinu
Feritatis artes mille ; fornaces, rotæ,
Sartago, forceps, pecten, equulei, cruces,
Plumbata, faſces, ungulæ, ferrum, feræ,
Immanitatis horridæ ſuppellex tuæ.
At te Sacrorum ducit in curas amor.
Mentiris ; auri ſacra te rodit fames :
Te nidor aulæ, te dapum recens odor,
Te Veneris æſtus, dira te Bacchi ſitis
Agunt, ſeruntque : larva pietatis, *ſacra* ;
Præceptor artis, venter ; Imperii favor,
Obtectus aſtu fucus : Haud aliud colis,
Quàm te, Deorum ut numen aut Regum decus.

Hæretico Romano-Sacrificuli Crudelitas.

I, nunc, Tonanti proximum jacta caput ;
Aulam furore, ſanguine Imperium reple.
Tandem ruinam faſtus ultricem trahat.
Fronte ſimulatâ Fautor egregius Deûm !
Sed eſto, precibus, debeas Vitam, *Artium.*
Mox evireris ; inque ſquallentes procul
Mundi latebras genere cum toto migres.
Utcunque fallax prædo, naturæ in ultimas
Morientis oras exul, æternùm vale.
Ferro piari meruit & flammâ ſcelus ;
Vitam at *Patribus* , ut munus, antiquis damus.
Seclis licet ſequioribus nati hi Patres.

SCENA. III.

Pallas Artem Magicam & Jeſuitam cum Atheo & Avaro Deiſtico ad Inferos detrudit.

Jeſuita. O Dira nimium ſidera, immites Deos,
Meiſque ſemper invidum cæptis polum!
Noſtram protervæ ferreà Parcæ manu
Jurant ruinam ; totus in miſerum caput
Conſpirat orbis : Ludor, ac, vulgi probrum,
Jactata cunctum fabula per orbem feror.
Magica. Audite tandem languida Deorum cohors,
Et ſi quæ cælo Numina, actutum graves
Relevate luctus ; cernite hæc tandem mala
Et vindicate. Sed quid ignavis Deos
Votis laceſſo ? quid polum demens meis
Fatigo precibus ? Ultio hâc dabitur manu.
Pudet precari : Sede concuſſos ſuâ
Polos revellam : Phæbus inverſis ruet
Pronus quadrigis : decidet Phrygius puer
Reſupinus urna : paſſus & præceps cadet
Cervice fractâ Taurus : Hac terram petet
Trahetque libram Cancer, & Cancrum Leo.

Palla

Pallas. Quid, triſte monſtrum, lurida umbrarum co-
(mes
Amæna campis rura, & umbroſo virens
Nemus receſſu, noxio carpis pede?
Trucique tumidas fronte ſic jactas minas?
Magica Quid me ſuperbo perpetim incedens gradu
Septena renuit Artium ſociam cohors?
Pallas. Tu quid ſerenos Artium attentas choros,
Fulgore ſummis æmulum ſtellis decus,
Condi profundo dignior Averni lacu?
Mag. Teſtor Tonantis limina, æthereas domos,
Totieſque noſtram dexteram expertam Stygem,
Aut inter Artes ſcribar, aut mecum ultimi
Nigrante cunctas Tartari mergam lacu.
Pall. Faceſſe monſtrum, ſola ſulphureas domos,
Lacuſque triſtes Ditis umbroſi pete.
Jeſ. Septem protervæ ſed mihi gemmas prius,
Torquemque tradant. *Pall.* I, tibi torquem ſuis
Furiæ colubris ſqualida intexant manu.
Abſcede peſtis, libera terram lue,
Homines timore, noxio aflatu Polum.
Jeſ. Cælum fatiſcens concidat; totus ruat
Compage laxâ mundus, atque Artes premat.

Exeunte Pallade *cum ſuo comitatu, erumpunt* Dæmones, *ex aſſeribus hiantis Theatri laxatis, & inibi immergunt collo tenus Jeſuitam cum ſua Arte Magicâ, qui ibi ejulante cantu ululat, ut ſequitur: Sed prius lente protrahitur ad marginem Hyatûs, ſive Inferni ullo alio modo repræſentati.*

SCENA IV.

Jeſuita. QUàm multus animum vulnerat pavor meum!
Heu pateo totus! Me met adiiſſem prius
Me ſi videre nempe voluiſſem prius.
Ergone tectas pectoris peſtes, ſinûs

Fædam Mephitim, mentis & turpes dolos,
Venerum figuras mille, larvatum ſcelus
Explorat omnis oculus & cæli & Stygis.
Animi O tonitru! Lingua me damnat reum
Cæli, ſolique! Sidera excludunt, hyans
Sulphurea Tartarus antra, flammivomâ & thoros
Mihi Sternit undâ. Priſtinum in Chaos rude
Si redeat Orbis maſſa! Vel, atrato ſedens
Sub lapide ducam Bufo vitiatos dies!
Hoc ſæpe quondam, fateor, audieram, bibit
Surda hæc ſed auris. Siderum immitis Deus,
Me condidiſti flammei in prædam rogi?

(*Tunc impellitur in ſupradictum Hyatum, ſive in Infernum quovis modo figuratum, collo tenus* :)

Sartago formidanda! lugubris ſpecus!
Gorgonea vincla! Sulphure undantes lacus!
Æternitatis an meæ indigetes alet
Domus hæc dolores? liceat, ah, vitâ frui.
Quâvis ſecundâ: Relege, Sol, curtum diem,
Elapſa redeat hora: fuit: alam mihi
Implume tempus perdidit. Cynthi, vola,
Pænæq; decurta moras! volvit breves
Heu nulla menſes luna, nec ſe ſe fugax
Conſumit ætas. Poſuit hic dentem fames
Saturniana. Semel & æternùm miſer!
Perpetua per tormenta, ſupplicij vices
Duranſq; longi per catenatas, gemam.
Inducias vel horulæ breves peto.
Heu ſurda flamma! flammeis ſinum Draco
Spiris flagellat: Ferrea oh *Vermis* manus,
Cremata laceras viſcera! loqueris & adhuc?
Horreo tribunal Judicis mentis; fovet
Mille Radamanthos garrula. Voluptas cui
Æterna lætum ſtravit in cælis thorum!
Inter Dracones, flagra, flammarum pyras

Laceror,

Laceror, revolvor, ardeo! ſuperſtes mihi
Pæniſq; ſemper creſco redivivus novis.
O flamma! Vermis! flagra! dolor! æternitas.

Ituri in eundem hiatum ſeu in Infernum poſt Jeſuitam ceu Artem magicam, apparent, Atheiſta & Avarus, ſub arctâ & atra Dæmonum Cuſtodiâ, qui ipſis Flammarum in modum illudunt.

Atheiſta. Ergo nè Verum comperi', totâ mihi
Vitâ negatum, animo reluctanti licet,
Nempe eſſe juſtum, puniat qui Atheos, Deum;
Et Dæmones eſſe, Inferos, pænam ignium!
Simulacra portentoſa! ferales tori!
Domicillium hoc æternitatis an meæ?
Hic ſempiternas criminum pænas dabo?
Hic! inter iſtas ignis æterni faces
Fornace toſtus ignea? O ſortem gravem!
O dira pænæ forma! tormenti genus!
Quis inter iſtos Ditis horrendi rogos
Habitare valeat? quæ vel invitum manus
Cæco propellens impetu ad pænas trahit?
Abeſto peſtis: quid reluctantem trahis?
Fruſtrà reluctor: Ergo ne, heu, cogar ſtygem
Etiam reluctans viſere. O fatum grave!
Vale, vale terra; cælum in æternum vale.
Trux flamma! triſtis flamma! terribilis, atrox,
Æterna ditis flamma! perpetuo miſer
Cruciandus igne, ſubeo flammarum domos.

(*Deiſtico-Idololatrico-Avarus ad aſpectum ſui dæmonis cuſtodis videtur perterrefactus.*)

Avarus. Ut torva ſedet in fronte nubes, & fulgurantes accendunt lumina Cometæ! *Dæmon*: Emeritus jam ſtygis pugil, viſo Magiſtro trepidas? Eia, Avare, flagitioſi corporis rumpe vincula: Tota jam ditis regio te gratum expectat hoſpitem. *Avar.* Cælicolæ fideli repellite peſtem ægide. Repete fumigantes lacus, larva deteſtabilis. Cælitum regna me manent. *Dæm.* Regnabis, ſed

ſed imo Tartari ſepultus aulæ: Flammeo *Divites* ſuper & Sardanapolos ſedebis pegmate: Corona igneis vere pyropis caput illuminabit; & lana humeros, Pauperum gemitu & oppreſſione ceu cruore purpuraſcens teget. Veni & ponto æſtuante mecum diſcas latera peruſta volvere. *Avar.* Heu, totus ignibus ardeo! Cancer & ardens ſcorpius populantur intus viſcera. Sentio, heu ſentio, ſcelerum immane pondus. Veſter O Pauperes, à me oppreſſus innocuus labor & victus, cruorq; per meos divites artus ſeu Phlegeton igneus fluit, qui nullam in Pauperes novi adhibere clementiam, nullam à juſto ſcelerum ultore Deo vel expecto vel ſpero. Perij, æternùm perij! lux execranda, prima que ſolis jubar dedit intueri! Ad ignea Ditis antra vel vivens feror. Sic eſt; ſceleratorum ultor ſequitur à tergo Deus.

(*Tum abripitur à Dæmone in hiatum, tanquam in Infernum, &c.*)

Obducitur ſiparium.

SCENA V.

Voluptas ſive Genius vitæ Meretriciæ aggreditur quibusdam argumentorum Lenocinijs Symmetrium, optimæ ſpei juvenem & civem Albionopolitanum, ut perſuadeat ipſi ſe penitus dare otio voluptuario: Sed fruſtra; nam ipſe ejuſmodi fœminas Statim ſibi eſſe nauſeæ & averſioni ſignificat, caſtum amorem præferendo, & Virtutem.

(*Symmetrius, Voluptas (induta Stolâ muliebri.*)

Volupt. ET voto quis adeſt, Heros? quo ſidere natum
Hunc rear affulſiſſe diem, quo cernere florem
Et juvenum & Divûm licuit? mirabar & Euros
Et zephiros, hodiernæ diem cum duceret Eos,
Tam lætos fremitu inſolito, cætuq; frequentes
Hàc tenuiſſe viam. Cauſam neſciſſe licebat,

Te

Te quòd neſcierim : Ulterius quæſiſſe pudebit.
Nempe id erat, dulces animas, redolentis & auræ
Delicias ut ab ore tuo præſumere poſſent,
Quas Horæ, Auroræq; ſuæ libare liceret.
Interea tamen, O Juvenum pulcherrime fruſtra
Te ſi te neſcis uti: ſua dona dediſſe
Immeritò, & paviſſe notos natura queretur.
Incomitatus ades: Queritur natura, quod adſis
Incomitatus: Amant Charites ſociabile pectus.
Si curæ ſolæ aſſideant, quid ſella juvaret
Imperij? Comites unâ conſiſtere norunt
Majeſtas & Amor. Sit amoris neſcia rupes,
Caucaſeiq; gelu ſenij, quod frigore cano
Durat hyems æterna. Juvet prævertere curis
Ætatis tetricæ rugæq; inamabilis annos
Therſiten aliquem, & formæ cui parca juventus
Illudit ſine flore. Quid obſurdeſcere pergit
Naturæ monitis Genio cognata venuſtas,
Vernans illa, virenſq; & vere decentior ætas?
Cui, cedo, non dominatus amor? pugnabis amori?
Fac poſſe, at non velle putem. Tua ſi mihi nota
Viſcera, non Chalybum ducunt è ſanguine gentem.
Huc modò cùm primùm è ſylvis veſtigia ferrem,
Obvia (nam quid diſſimulem?) Phœnicis imago
Offerri quædam viſa eſt: Soluſq; mereri
Te ſolum ipſe videbaris: Conſumere flammis
Se ſolet, Ales Arabs proprijs, conſortis egenus,
Et certe ſolo miſerè ſe dives. At ignes
Forte tui ſocio dignentur fomite paſci,
Soliuſq; parens nolis & totius hæres
Eſſe tui. Quin me ſequeris? quàm gandia myrto
Digna tui recubant mecum (experiere) ſub illâ!

Symmetrius.

Blandimenta, quibus, fateor, ſopita ſubinde
Connivet Virtus, & Honeſti à tramite flectit.

Veris

Veris & has ineuntis opes, cæliq; benigni
Primitias non abnuerim. Tamen anguis in herbâ
Sibilat: & creſcente Bonum breve carpitur ævo.
Jam tepuit florens ætas, medioq; juventæ
In bivio ſedit: Cyprio circumdata luxu
Et formæ ſepta illecebris, quàm ſæpe loquaci
In vitro ſe ſe tenera, occiduiq; pudoris,
Et mox ſolvendæ forſan præludia zonæ,
Conſulit, illecebriſq; ſuis peritura puella
Deperit inſidias ſpeculi: parere monenti
Et poterat, ſpes quàm fragilis, quàm vitrea cæcam
Luderet. Illa dolis picta & fucata venenis
Fæmina, quàm fraudi vultum Prætendere ſolers!
Fæmina, blanda Tarentinis & mollior agnis
Dura magis Sipyli ſaxo; ſine fronte venuſta
Una & multa, genus Protei: Scyllæa propago
Illecebrâ frontis pellax, dum viſcera latrant:
Ætnæo ſata gente, vaporibus ignea pectus
Sub vultu niveo: virtutum ad fortia, mammæ
Imbellis memor, ad ſceleris certamen Amazon.
O Amor! & cum degenerat, mortalia turpis
Pectora quid non cogit amor? ſic pectora mulcent
Ardoreſq; animorum alacres in viſcera ſpargunt
Lenæi latices: at quando numine fervent
Orgia per fibras nimio, & Rationis in arcem
Invadunt furiæ audaces, mens exulat omni
E regno procul: imperitant & non niſi *Rhetus*
Et *Pholus* & magno *Hylæi* cratere minaces.
An cæli ſervat portas Amor? ad ſtyga cæli
Per portas reperiſſe viam quis credat Amorem?
Curriculi metas agnoſcunt cætera, parco
Limite circumſcripta, ſui. Definit Amorem
Non niſi qui neſcit fines, immenſus Olympi
Ambitus. O immenſus Amor! turpiſnè Suburræ.
Compingi in vicum velit, & ſub fornice condi?
Qui vagus eſt, varioque anceps indulget amori,
Non amat—atq; toro eſt ſua nec minus Ætna jugali

Sæpe

Sæpe facem nimiamq; cubilibus ingerit ardor.
Hinc tuba contiguas Floralis perſonat auras,
Et riſus oculis jaculatur mille *Voluptas*
Sæviat ut magis : & laxant hinc *otia* nervum
Ut feriant magis ; & turres educere cælo
Aereas, nubeſq; habitare *Superbia* tentat,
Ut ſternat magis. At pugiles, quibus impigra telis
Inſtruat *Integritas*, caſtus *labor*, accolaque imis
Sobrietas, animis ſpoliata *Superbia* dicet ;
Dicent exuta inſidijs, excuſſaq; caſtris
Otia, ſeptiſq; ingenuis incluſa *voluptas*.
Mutuæ & *Invidiæ* dicent, odijſq; frementes
Occultis *Inimicitiæ* ; quas emovet armis
Innocuis pia *Simplicitas*, emiſſus & arcu
Ipſe ſuo proſternit *Amor* : male candida dicet
(Quam meritis expugnat honos & Gloria laudi
Concolor) Ambitio : dicet circumdata luxu
Immodico veſana *Licentia*, compede legum
Quam domat, & fræno parere *Modeſtia* cogit. *Exeunt.*

SCENA VI.

Ludonomus, Muſophilus & Spoudaſtes avaritiâ, ambitione & rerum vanitate ſpretâ, Muſis & vitâ privatâ ſeu rureſtri contenti eſſe ſtatuunt.

Muſoph. FLaventes alij prædentur Gangis arænas,
Et luſtrent venas, auriter Herme, tuas.
Atria ſint alijs, Parijs conſtrata columnis,
Quæq; altum lambunt turgida tecta Polum.
Muſæ me rapiunt ; recreat me ſola Thalia ;
Me celſum Pindi tollit in aſtra jugum.
Det mihi Caſtaleo Phæbus de Gurgite lymphas,
Pulſare & docto pollice fila lyræ.
Divitiæ ſunt fluxæ, fuſaq; gloria fuco eſt ;
Eſt vanus pictæ ſplendor, honoſq; togæ.
Auratas veſtes conſumit dente vetuſtas ;
Irus & eſt ſubitò qui modò Cræſus erat.
Culmina Pyramidum patiuntur tempore lapſum ;

Submittunt terræ quodq; tulere caput.
Si rogitas, ubinam ſunt ſplendida templa Dianæ;
Dudum procumbunt pondere preſſa ſuo.
Omne volubile conſumit, niſi Carmina, tempus;
Effugiunt longos carmina ſola dies.
Nomen, Homere, tuum, toto cantatur in orbe;
Virgilij Muſam, poſtera ſæcla canunt.
Sanguineos Mavors alios ſibi quærat alumnos;
Non ego belligerâ tela vibrabo manu.
Inſanus, quiſquis ſequitur fera Claſſica Martis,
Et lethi telis objicit ultro caput.
Loricæ torvæ ex valido licet ære refulgent,
Et galea hirſutis horrida facta jubis;
Non lorica tamen pellet de corpore tela;
Præſidium capiti non tibi caſſis erit.
Et quamvis meritorum alis ſubvecta tuorum
Fama tuum portat ſuper æthera, Maxime, nomen;
Quamvis denſa fores incingunt arma, tuumque
Terra equitem tremit, & Neptunia marmora Typhim;
Amne ſinus quamvis illabitur Heſperis aureo
Unda tuos, & Gange, tuo modò, gemmeus exis;
Pulvis es: & titulos & opes & prælia pulvis
Excipit. Extrema eſt in pulvere linea rerum.
Pulveris aſt expers Virtus, comes atque Camæna.

Spoudaſtes.

Sed neque Leucadios ſtatuæ nec marmora dentes
Effugiunt. Cælo inſertæ miracula famæ
In cineres deſederunt; Memphimque Rhodonque
Exedit, Ninonque, Semiramioſque labores
Dura fames. An & Aonio queis ſurgere ſumptu
Muſa dedit, legem interitûs ſua dixerit ætas?
Vivunt. Tarpei Patris inviolabile ſaxum
Numine fundatum tanto, labat: ipſa fefellit
Pax æterna fidem. Sed quam deſcripſerat olim
In tenui, & ſulco nondum concluſerat Ædem
Auſonius vates (traducta decempeda tantùm
Optarat ſedes, operas & Muſa redemptrix

E Cyrrhâ

E Cyrrhâ tantùm conduxerat) attamen ævo,
Hæc operis ſpecies ſimplex, & linea prima
Tranſmittit memori nomen: mandonis avari
Ingluviem caſſam ridet, dentemque retuſum.
Ut deſit Maro, Georgi, tu at ades; nec defore credam
Aonios, duce te, te Mecænate, nepotes.

Ludonomus.

Ruris alumna, meis olim gens hoſpita Muſis,
An par hoſpitio merces? nec roſtra, nec aulam,
Nomina ſeu prætexta, nec alta theatra, nec urbem
Aſpicio; ſed nec turbas ego, ſeu quod in urbe
Urbis ineſt. Pars naturæ ſincera, prioris
Ævi flos illibatus: bona ſi modo noſtis
Quæ veſtræ recubant humili ſub fronde myricæ,
Gens O fortunata nimis! Si limite Parcæ
Signarunt tenui vitam, nec in æde lacunar
Sidonium laxâ ſplendet, nec rupe recitas
Mygdoniâ teſtudo premit ſpecioſa columnas,
Palla nec Indorum filis illuſa refulſit:
At cultus morum, & cenſu caſa ſimplice dives,
Virtutis domus antiquæ tibicine fulta,
Pax indelibata, proculque nocentibus armis
Pacis opes, & damnoſæ mens inſcia culpæ,
Et reſponſuræ culpis mens inſcia curæ,
Non deſunt. Si non menſis accumbit eburnis
Lauta fames, gemmavè ſitis bibit: at neque terret
Seta dapem. Ambitio ſæva, inſidiæque per oras
Auratæ lancis ſerpunt, ſimileſque parenti
In vino libat genialis concha tumultus.
Incolume in vili eſt. Modici nec rixa ſalini
Nec livor condit cænas. Quàm læta diurno
Empta labore quies, cui Somnia temperet albo
Veſpertina teges! portæ cùm limen ad aureæ
Apparet timor, armatus licet, at timor, & nox
Ægra, ſoporq; vigil. Ruri ſed nec ſua deerat
Regia; nec forſan minus aurea. Thyrſitidis aulam
Cùm tituli intrarunt nulli, nec ſorduit auro

Læſus honos. Erat, & Dryades meminere ſuperbæ,
Tempus erat, cùm ſylveſtris mutaret aratro
Conſul ebur : cùm, quæ tauris juga dempſerat, hoſti
Indueret, terræ dominis dans jura colonus,
Farra ſerens, & regna metens. Se fictilis aureum
Jupiter è ſylvâ peperit. Rus montibus urbem
Et mundo impoſuit. Nobis ingloria ſordet
Sylva ? tuum tamen eſt, Sylvane, quod Anglia regnat.
Carolus olim hinc nam, dubius formidine multâ ut
Libraret ſpes oblatas, at fallere lncem
Hic tamen, atq; hoſtem placuit. Fugientibus æſtum
Pro portu quævis ſtatio eſt. In nube latebram
Sol habet : ut lateat nobis, ſibi lucet ; & ipſo
Nil de ſole perit. Titulos, Inſignia, regem
Exuitur totum, Mox ferro tonſus agreſti
Undique decrevit vertex, aulæque comantis
Luxuries poſita : auriculam ſed ſuſus ad imam
Perpetuo cirros gyro tumet orbis in æquos.
Tum placuit ruri ſimiles inducere vultus.
Infectæ miſtâ pallent fuligine palmæ.
Tum vetus e vituli ſpolio & male commodus ambit
Regales artus thorax, oliduſque, nitenſq;
Affrictu pingui ; praſino de gauſape turgent
Inflexæ ad ſuram, ſubſtricto poplite, brachæ.
Par crines umbrat petaſus ; par faſcia ſuram
Involvit, par aſtringit veſtigia pero.
In manibus robur nodis & cortice crudum.
Et totum rus induitur. Tum ruſtica circùm
Aſſiſtit pubes, & ſe miratur in illo.
Rureſtres fratres, humili de Sanguine nomen,
Quos genuit pia Pauperies, & nullius aulæ
Simplicitas aluit : Sylvis educta juventus
Natales ultra curas extendere mentem
Aſſuetam parvo ; Celeiq; excedere gazam
Neſcia. Rerum omne imperium brevis aggere fundi
Septoque hortenſi, atque anguſtæ limite caulæ
Terminat ambitio : fragili magalia culmo

Cælum

Cælum arcent, facilique famem dape frigida menſa.
His ergo raptus *Juvenis* de rudere belli,
Anglia quo læſo cecidit, quo ſoſpite ſurgit,
Fortunæ redituræ obſes, ſpeſque unica rerum
Credita. Sic magnorum operum fundamina ponit
In nihilo Deus. Acciſis ubi viribus arces
Defecere, levem porrexit aranea telam.
Diluvio ex illo miſeros urgeret *egeſtas*
Quanta, liquet: longe nec reſpexiſſe neceſſe eſt.
In citimo, Veterum ſpecies: in cannabe Baucis
Splendet adhuc, inſignia adhuc fert nota Philemon.
Dives eras: unum hoc deerat tibi, Noſſe beatæ,
Anglia, Paupertatis opes: aſſueta novorum
Gymnoſophiſtarum placitis, Scuticæq; magiſtræ
Literulis modo tincta, Rotæ quàm ſtrenua noras
Ludum faſtidire, minas quàm temnere Cauri,
Cymodoceſque ſupercilium, breve littus & algam
Remigio radens tenui! quàm riſerat æris
Et curæ vacuus tumidum Scyrona viator!
His (cuncti ut novêre) malis adolevimus, inter
Has tecum mæſti lachrymas exegimus ævum,
Teſte vel Invidiâ, miſeri ſatis, Anglia compar.
Novit habere Cupido, frui non novit. Ad algam
Littoream ſpes anguſtas qui navigat, illi
Alga, *Quies*. Animi in gremio latet aurea, Divûm
Gaza, Quies. Dormit teges inculpata, Quietem
Et fovet. Edicunt pacem, quæ pectoris æſtus
Bella domant. Aulis profugæ imperiale Quieti
Hoſpitium, Mens eſt. Quam promiſere ſequaci
Viſa Viatori vulpes nigra, candida cornix,
Denſque Libys, quàm macra quies! miracula fumum
Ad patrium potiora videt, cui Mens ſua campum
Explicuit, Mentis qui ſepta domeſticus ambit.
Heu quàm difficile eſt, cæca inter divitis aulæ
Limina, ſecuras Damni, immuneſque rapinæ
Præſtari Pietatis opes. Ubi mille nocendi
Artibus inſtructa *Ambitio*, luxuſque protervi
Armanſque inſidias *Livor* facer, *Otia* que ipſa Indulgent

Indulgent latrocinijs : ubi lubrica furta
Inſidians nocti exercet, raptoque *libido*
Vivit ; habendi ubi dirus *Amor*, ſed egenus habendo,
Æternùm prædis inhiat, Pietatis & ipſas
Simones aulâ freti graſſantur ad aras.
Inde Caſam intret Pietas : hæc furibus obdita porta eſt,
Portam obdunt *parco* Paupertas *læta*, *labor* que
Iucundus, *Probitas* ſimplex, & mille pudores.
Omnibus è cunis egreſſa ſuperbia bullam
Vix primam ſumit, cùm tendere protinus ardet
In rerum medios æſtus : at ſpuma recumbit
Mox ad triſtitiæ petras. Damnamus iniquam
Attrepon immitis teli. Mea fila Libido,
Fila Secant Iræ, & curis armata voluptas. *Exeunt*

SCENA VII.

Pallas, cum Eloquentiâ & cæteris Artibus Triumphum Calydoræ Inſtituens, ceu Apotheoſim, Eidem ab iiſdem prædictam Catenam ſeptem Gemmarum oblatam & conſecratam celebrat cum eiſdem.

Pallas. NUNC, nunc viridi fronde capillos
Cinctaque rutilis pia turba roſis,
Prodi niveo ſinuoſa pede :
Plaudat feſtis vocibus æther,
Nymphaque curvis vallibus Eccho,
Reddat facili verba ſuſurro.
Totis reſonet Calydora jugis.

Eloquen. O noſtri pia Nympha jugi, nemoriſq; voluptas,
Stella ſoli, rutilo quæ fulgens aurea tractu
Prata beas, puroque micas per nubila vultu
Virgineis radiata comis, tibi, Cælica virgo,
Eloquium ſua dona refert ; virideſq; per umbras
Mellea Nectareo tibi fundit flumina rivo.
Fert faciles tibi terra roſas, fert frondea Laurus
Serta, Polus niveo criſpatas lumine ſtellas,
Artes Septeno variatum ſydere torquem.
Sume, O, ſume, tui, Nympha, hæc monumenta decoris,

Quæ

Quæ fidus tibi præbet Amor; ſume inclyta gemmis
Munera, cæleſtes referentia munera laudes.
Muſica. Frondeos vernæ tibi, Nympha, ramos
Ventilant Sylvæ; tibi blandientem
Suſcitat nervum lyra, tinnulaſque
Muſica chordas.
Stridulâ dulces tibi, feſtus uſque
Paſtor explorat numeros cicutâ,
Dum per umbroſos Ovis ima tondit
Gramina Saltus.
Te leni pictæ volucres ſuſurro,
Te chori rectrix Philomela cantat,
Et vacillanti numeroſa vibrat Carmina plectro.
Aſtrologia. O Diva celſis æmula ſedibus!
O invidendum Syderibus jubar,
Divina virtutum propago
Æthereis veneranda turmis!
Tibi coruſcam cæruleus facem
Submittit æther, te decus igneum
Colit, triumphatæque cælo
Purpureum per inane flammæ.
Tibi faventem luſtrat ovans Thetym,
Titan Eoâ lucidus orbitâ;
Tibi ſerenus purpuratum
Heſperio lavat amne currum.
(*His dictis, ſubitò ſubintrant Arithmetica, Geometria & Dialectica, & quidem per Poſticum, ac, pro amphibia Formalitate ſuâ, togatæ, ſuccinentes alternatim neſcio quem applauſum de minuſcula ſuâ propriâ quâdam catenâ, Calydoræ ſive potius Palladi, tanquam præſentiori Numini dedicandâ. Omnia tamen, pro ſuo more, ſubobſcure & ambiguè.*)
Arithmetica. Num decet blandis Charitum catenis,
Diva, ter fauſtum ſociare nodum?
Num triplex nexus ſibi jam quaterna
Vincula poſcit?
Sive virtutum religare ſacris
Nexibus, vinclo propiore, mandas?

Mens

Mens in incertis agitata curis
Fluctuat anceps.

Nempe ſic vultus pietatis ignes
Exerit, celſas imitata flammas,
Sic fluit largo renuente ſiſti
Gratia rivo.

Geometria. Ut pijs votis utriuſque tecum
Æmulis, firmum ſtabiliore nexu
Arbiter palmæ cupiam decorum
Solvere nodum!

His tamen majus dubio timori
Pondus incumbit: chorus inſtat omnis
Fæderis ſacri, meritoſque nodo
Urget amores.

Fædus æterno Sociale nexu
Gordij Regis magis arcta loris
Vincla connectit: nitet hic perennis
Nomen Amoris.

Dialectica. Gratiæ huc molles referunt catenas,
Turba virtutum pietatis alma
Vincula adjungit; ſtabilita perſtat
Fæderis arca.

Triplicis nodi tuus ergo nodus
Colligat nexus meliore zonâ:
Gratiæ, Virtus, Amor omnis in te
Vincula nectunt.

Sic catenatus pietate nodus;
Nexibus fauſtis retines amores:
Vincla ſic nectens, repetes ſequaci
Sydera pompâ.

(*Tum demum Gramatica ſive Philologia ceu Genius* intrepide Trementium, *audaciuſculè & ſubruſticè irruit, & qnaſi abruptè Calidoræ & Palladis ſivè Concordiæ & Pacis Effectibus venturis & fructibus communicandis, non ſine ſolitâ Virtutis immiſcendæ analogiâ, pro didactica ſuâ Morum ſingularitate applaudit, ſine ullâ præambulâ ceremoniâ, vel exteriore corporis vel linguæ propitiantis cultu exhibito vel exhibendo.*)

Lætus

Lætus agat (tandem enodi feſtivus avenâ)
Paſtor oves ; niveo generoſas vellere ; quali
Pellexit lunam cælo Deus Arcas ab alto,
Paſcat oves. Pulſa tandem rubigine lucem
Induat attritus vomer, dociliſque juventus
Ad munus Cereale, volentibus imperet arvis.
Naviget ; incidat tortos mihi Navita funes.
Segnes increpuere moras Peruanaque rura,
Et mitratus Arabs, & cinctu defluus Afer,
Et diverſus utroque Getes : Minyæque feruntur
Mirari ſolito vacuos & Iaſone portus.
Hac fortaſſe tenus licuit confidere Ponto
Parcius : aſt agnam belli modo fluctibus icit
Candida pax ; pepigere modo Tethys & Arctos
Mitior, arrectique ſedent in littore venti.
Paruit, & velis immiſit Nauta rudentes :
Ecce fugit, ſpumaſque Salis ruit incita pinus :
Cornua, carbaſeique ſinus, & ſuppara ſumma
Feſtivùm crepuere. Pedem bonus alter, & alter
Incidit an Pollux in utrumque ? carina ſequaces
Antevolat ventos, & ſubſidentibus undis,
Extremam fluctu in primo præſumit arenam.
Mox redit : & ripis comes adnatat India noſtris.
Angligena Oceanum domuit ; didicitquè Magiſtro
Oceano, quæ regnandam transferret in aulam :
Namque & ibi Syrtes & Cautes oſſibus albas,
Et Brevia, & Ventos, & quas non vidit in undis,
(Æquorei ſobolem thalami) Sirenas in aulâ
Repperit. Hic velorum alis, hic præſide Clavo,
Hic, opus excubijs ſpecularum, hic funibus uſus :
Velorum ut luxum ſtringas, ut ſidera ſerves,
Ut Malo imperites, foveas ut præpete ventos
Effugio, cautamquè fugam fortuna ſecundet,
Ancipiti deſint nec libramenta carinæ,
Nec, proræ errores quæ ſubiget, anchora deſit,
His ſine, quàm ſæpe ad ventos, ſcopuloſq; perorat
Spes vaga, gaza tremens, & malo nexile votum

Æquore in hoc Speculæque fidem Clavique tuetur
Georgius, & tractat funem, veliſque miniſtrat,
Conſilijque ratem ſtabili moderamine librat.
Exempli demum porrectâ lampade ſolers
Iqſe (per has Aulæ Maleas, hæc per Scylacæa)
Inſidiantis Avaritiæ, Invidiæque ſalebras,
Cautes Ambitionis, & Oti' cæca ſalacis
Eludit brevia undoſæ Pharos Hannover aulæ.
In Templis vel Gymnaſijs, haud eſt ſua ſoli
Exedra Virtuti. Aulæ Academus & erudit Error.
At folium (dicto venia eſt) ſi pagina vertat. *Exeunt.*

SCENA VIII.

Neophytus, Agapides, Theophilus, & Theocataſtrophus, præ Concordiæ & Pacis Incertitudine, & temporum dubiorum faſtidio, præ que Cœleſtium amore, cupiunt diſſolvi & eſſe cum Chriſto. *Non ſine Sacrâ Poeſeos & fidei Extaſi.*

Neoph. ERGO peregrinas jam dudum ejectus in oras,
Exilij ducam ſæcula plura mei?
Nunquam aderit læta illa dies, Regina dierum,
Quâ Patrij ceruam dulcia regna ſoli?
Non quererer Scythicos ſi mitterer exul in agros,
In Tanaum Thameſis vertere juſſus aquas.
Non ego Cimmerios æternâ in nocte jacentes,
Non Geticas fugerem Sarmaticaſvè plagas.
Nempe meo Scythicum tepuiſſet frigus ab igne,
Fùlſiſſent flammis Cimmerijq; meis.
Durius exilium proprij invexere penates,
In patriâ vivo flebilis exul humo.
Prome tuas ergo patientia læſa querelas
Aſpiciat lachrymas Patria vera meas.
Forte penetrabunt clauſum ſuſpiria cælum,
Molleſcentq; humili ſidera dura prece.
O quiſnam hauſtum imis calor implicat oſſibus ignem?
Depaſcitq; meas quæ nova flamma fibras?
Neſcio quis calor hic, quæ fax, quæ flamma, quis ignis,
Certant in ſphæram quæq; volare ſuam.

O Quando!

O Quando! quando!—quid ſingultantia rumpis
Verba dolor? quando!—cætera, lingua negat,
O ſi! ſed taceo—nequit heu amor iſta tacere:
Quod nequit ergo dolor, dicere diſcat amor.
Quando erit hora, meo quæ me conjunget Olympo,
Illa dies quando, quando erit illa dies?
O hora, O niveo mihi lux ſignanda lapillo
O vehat hunc celeri Cinthius axe diem!
Curre volantibus, O ſol auree, curre quadrigis
Curre celer Pyrois, curre citate Phlegon.
Sed quid inutilibus ſurda invoco ſidera votis?
Invia aberrantes diſſipat aura preces.
Sperando menſes, ſperando traximus annos:
Me menſes, anni, ſæcula nulla juvant.

Agapides.

Præruptâ quoties recubans ſub rupe querelis
Uſq; fatigavi conſcia ſaxa meis.
Inq; polum recto defigens lumina viſu,
Effudi tales voce gemente ſonos.
Num meus, ille meus, tantum quem diligo, ſponſus,
Ille meus ſine me, me ſine ſolus erit?
Ah, melius, miſer ah! quid amantem ludere proſit?
Redde, O, redde, precor, me tibi teq; mihi.
O quis ſidereo prope te me ſiſtet Olympo!
O mihi ſiqua foret ſcala, vel ala foret!
Nectuntur ſcandendo moræ; da, Dædale, pennas
Alato præſtat tendere in aſtra pede,
Quid precor? Icarios ſi quis mihi necteret alas,
Non flammas ferret cera caduca meas.
Noſtra Gygantæos armentur brachia in auſus,
Et gemebunda iterum Pelion Oſſa ferat.
Non timeo Enceladi ne fulmine forte repellar,
Dum flammâ poſſim, Chriſte, perire tuâ.
Jacto Gygantæas quid inanis puſio vires?
Vix mea ſuffulcit languida dextra caput.
In curru me ſume tuo, rape ad aſtra Bootes;
Tardus es, haud tardâ fer mea juſſa morâ.

Tu pia Luna meas conſueta audire querelas,
Nocturnum peragit dum vagus axis iter ;
Tu Dea, te noſtri tangunt ſi forte dolores,
Tantillùm applicitis me, pia, tolle rotis.
Dum loquor, illa novos oſtentans perfida vultus,
Cornutâ ſubitò fit mihi fronte minax.
Ac dum lunari fido lunatiùs orbi,
Illudit ſpretas jam nova luna preces.
Quid facerem ? Boream male-ſane in vota fatigo,
Ut me feſtinis deferat ille rotis ;
Ille preces ridens, frequenti obmurmurat ore
Et mea neſcio quò Vota, preceſq; rapit.
Cantum quæ reſono Dea garrula ludit in antro,
Fida manet noſtris planctibus uſq; comes ;
Et licet illa meis fermè ſit rauca querelis
Præbet opem miſero ; cumq; gemente gemit.
Ac dudum ſterili conceptum forſan amore,
Me quoq; Narciſſum cogitat eſſe ſuum.
Sic dum verba notis, dnm mando ſemen arenæ,
Ponde:e dicta ſuo, ſemina meſſe carent.

Theophylus :

O ſuperi ! O animæ miferæ nil lucis egentes !
Lumina queis verâ paſcere luce datur.
Extenſa æthereis huc brachia tendite ab aſtris,
Et liceat longas implicuiſſe manus.
Terra vale ; pila parva vale ; ſuper æthera tollor !
An lougè Angelicum proſpicioque melos ?
De longe ? ah quantum de longe ? fallimur, eheu !
O Jeſu, fueras quam modo penè meus !
Scillicet ut properans vicina ad litora puppis
Sæpe procelloſis pellitur inde Notis :
Undivagoque miſer detentns carcere nauta,
Fit pila ventorum, ludibriumque freti.
Sic me quem tactis præcox ſpes junxerat aſtris,
Invenit in medio decolor hara freto :
Et rurſus tumido mundi jactatus in æſtu,
Quà vocat unda, ſequor ; qnà vocat Eurus, agor.

Intereà

Intereà dum cor, dum mens meditatur Olympum,
Mens amens, vecors cor, ſine corde manet.
Et tamen eſt cordi mihi vel ſic corde carere
Quis mihi cum proprio vivere corde dabit ?
Quin age rumpe meæ Jeſu, nigra ſtamina vitæ,
Juſta, ego, Juſta, meos & rogo, Chriſte, rogos.
Jam tandem Parcæ parcant, mihi dando ſepulchrum ;
Si què feres lethum, mors, mihi læta venis.
O tu qui primo fixiſti vulnere pectus,
Supremum pariter da mihi vulnus, amor ;
Et pia victrici depromens tela pharetrâ,
Inſculpe hæc tumulo carmina pauca meo :
Hic jaceo telis confoſſus amator amoris ;
Vivere Sola fuit mors, mihi vita mori,
Non tædas, non ferte faces, non urite cotpus :
Non opus his flammis ; concremor ipſe meis.

Theocataſtrophus.

O Animæ fortunatæ nimis ! Et bona norunt
Fortunatæ Animæ, ſeu quæ dimiſſa modeſtæ
Spreverunt olim, ſeu quæ poſſeſſà beatæ
Et modò ſalva tenent. Quæ dimiſere, rependit
Pax animi. Nec dimiſſis caruere : potitæ
Hoc mage, quo cupiere minus, Jaculamur in ævum
Multa ; ſed intentæ mentis, jaculique cupido,
Quòque acies votum collineat, una *Quies* eſt.
Una quies, quam longinquas & Gangis & Indi
Nautarum ſpes velivolæ petiere per undas :
Una quies, quam Marmoricâ ſub rupe latentem
Eruere in lucem foſſor coutendit *Avarus* :
Una quies, quam Sarrano mulcere ſub oſtro
Cygnæâ cupiunt fulti lanugine ſomni :
Uno quies quam viſa Rhodos promittit, & aurei
Ad *Solis Menſam*, Famæ conviva Viator :
Quam ſignant Aulæ, caſtris quam teſſera pugnax
Edicit, clangor que tubæ ſonat, una Quies eſt.
Ecce, nihil non irrequies. Reperere *Quietem*
Nec bellum fidens armis, nec fraudibus Aula,

Quæſitæ

Quæſitæ nec Odyſſeis erroribus urbes
Nec thalamos auri qui perrupere ligones,
Nec remi celeres, nec inertis ſomnia plumæ.
Omnigenos ſuſcepit, & addidit ipſa Quirites
Roma Deos. Reperere Joves, & Vejovis aram
Repperit. Ipſa rotis recubans Axungia pinguis
Olfecit que, oluit que Arabæ ſuffimen acerræ.
Naris nulla querebatur. Sinè numine ſola,
Nuſquam culta, vaporum expers inodora manebat
Sola Quies, inhonora Quies, quia nulla reperta eſt.
Felices Animæ ter & amplius! His ſua voto
Æqua (ſecuturi fugiens alimenta doloris,
Intemerata, Bono nec perſonata fugaci)
Parta Quies. O felices, quæ gurgite mundi
Emenſo, fluctus auſæ tranare tumentes,
Optatum que Caſæ germen retulere, Columbæ!
In pelago nos interea jactamur. Oliva
Non rediit. Redit, & rodit qui viſcera, corvus.
Offenſum certè, offenſum eſt. At conſcia noxæ
Et noxæ vindex Nubes ut æthera purget
Et Scindat ſe, nonne vides? Rediere, reducto
Sipario, erepti nobis ſpiramina cæli.
Alitis Oh cineres utinam (prô quæ mora?) fiam,
Quæ cineres doceat plumeſcere, vivere mortem.
O rerum quæ lætitiæ! & ſpem fænoris offert,
Triſtitiæ pulſâ nebulâ, reditura voluptas.
Noſtra quies gemit interea, lachrymiſque cubile
Triſtè madet; carmen dictant geniale dolores,
Rerumque occurſat ſpecies inamæna, nec ullo
Connivent ſomno Curæ. Felicibus oris
Lapſa quies (que felices nec deſerat oras)
An erit, ut thalamis modicam pacabilis oti'
Aſpiret noſtris auram? ſoletur egentem
Subſidij, menſæque inopem, Chriſte, ubere menſâ
Lapſa tuâ quæ mica famem? Torrentis ab alveo
Quando erit, Una tui, Chriſte O, cùm ſedet anhælam
Gutta vel una ſitim? Cælum libaſſe juvabit
Vel ſic; nam Superûm dulci quam ſpitat ab orâ Gratus

Gratus odor ! Steriles, & veri *dulcis* egenæ
Quàm terræ ſordent ! Petitur quæ non fugit, ætas.
Quà tendam ad Superos ? hæc immortalis ad aulæ
Gaudia quà teudam ? Legum ſeries, ſibi concors
Cana fides, Anglorum Eccleſia ſacra docebit.
Lacteaque ipſa via eſt, Candore notabilis ipſo. *Exeunt.*

EPILOGISTA.

HÆC ſunt (ſpectatores lectiſſimi, & Lectores ſpectatiſſimi) quæ de Sacratiſſimâ *Concordiâ* Chriſtianâ perſonatâ, dicenda habuimus ; re ad pietatis magis quàm Eloquentiæ calculos exactâ. Nam cùm de tantæ *Felicitatis* Genio, Calydorâ, loquimur, ſatis nos Eloquentes præſtamus, ſi ſatis pios. Ne quis verò miretur, nos ſeptem Gemmarum *Torquem* ei obtuliſſe, noſtræ nunc ſunt partes, quo pacto *ſeptem* hiſce Gemmis, id eſt, ſeptem liberalibus Scientijs Calydora (vel potius Academia ceu perſona, ipſâ & ipſis) ornata fuerit, oſtendere. In *Eloquentiâ* ergo primùm excelluiſſe eam quiſquis dubitat, is ſolem meridie lucere dubitet. *Muſicam* verò fuiſſe, nemo negaverit, niſi idem neget majorem eſſe Virtutum & Pacis concentum, quàm fidium, ſuavioremq; illam ac jucundiorem Harmoniam, quæ ex animæ juſtis affectibus temperata, quàm quæ ex lyrâ ac teſtudine chordis & nervis diſtinctâ, provenit. *Aſtrologam* fuiſſe nemo cunctetur, niſi fortaſſe peritior ille in Aſtrologiâ cenſendus ſit, qui in converſionibus tantùm ſtellarum ac motibus, & cæli ut ita dicam cortice ſiſtit, quàm qui acutiore Intellectûs acie ſtellas tranſgreſſus, per eas in omnis Motûs & pulchritudinis fonte, mentis oculos & affectum figit tanquam in quietis & Pacis centro. *Geometra* demum fuit, quippe terram permenſa, invenit eam *Punctum* tantùm eſſe, reſpectu cæli perexiguum ; ac proinde penitus contemnendam, vel certe parvi faciendam utpote Diſcordiæ punctum. *Grammaticam* verò extitiſſe

titiſſe probat ſumma illa in *Declinationibus* Peritia ; ita enim ſapienter Mundi diſſenſiones declinavit & vitia, ut nihil ſibi cum illo pravi vel ſequioris commercij eſſe voluerit: Nec ſane quiſquam in Grammaticis & Regiminis regulis Calydorâ fuit peritior ; novit, *Divitias* & *Delicias* numero carere ſingulari, id eſt, nihil habere in ſe ſingulare, nihil eximium, nihil quod hominum mentes jure vel nimium ad ſe & affectus rapiat: Novit, *aurum* eſſe Anomalum, id eſt, inæquale, aſperum, ac Sollicitudinum ſpinis & ſimultatum vepribus circumſeptum. *Dialecticam* verò fuiſſe, quæ vera docendi ſcientia eſt, reperiemus, ſi advertamus, quàm acriter illa Regiminis & Pacis veritatem docuit ac teſtata eſt, non verbis ſolum, ſed rebus publicis, non in literarum tantum palæſtrâ, ſed Virtutum, non tam Orationis ubertate, quàm tenore vitæ, profuſione & ſanguinis : Et cum brevitatis, quantumvis ſpineæ, & diſputabilis ceu *mobilis* & ſubruſtici moris, amans ſit Logica & rixarum, plus Concordia docuit *Verbum* ubiq; omnimodum, id eſt, Chriſtum, loquendo, quàm quot ſunt ſagaces Philoſophico homines ingenio, tot poſteris relictâ Voluminum Scriptorumq; mole ac copiâ. Deniq; in *Arithmetica* excelluiſſe, peritamq; in Numeris fuiſſe Concordem illam Calydoræ perſonam ceu Academiam, vel hoc ſufficienter indicat, quod cùm Numerorum omnium perfectiſſimus ſit *Ternarius* cæteroſquè in ſe contineat & complectatur univerſos, aſſerente Philoſophia, *Tria ſunt omnia* ; illa verò Concordia perſonata ternarium numerum, *Sanctiſſimam* videlicet *Trinitatem*, cùm adeo perfectè noverit, vel certè coluerit, quis perfectam numeroſæ Virtutis & multiplicis Pacis Arithmeticam negaverit ? vel ſaltem nemo dubitet in Numeris fuiſſe peritam, cùm videt illâ Concordiâ præditam perſonam, omnibus Numeris abſolutam. Sic demum Encyclopædiam Literariam, omnimodamq; felicitatem humanam Concordiâ perfici, videre eſt, & abſolvi. Ut ipſe tandem verbo abſolvam vidiſtis ipſi ut Factioſis, ut ignaris, ut impijs, Regiminis, Religionis, & Literarum hoſtibus erepta ſit larva, ne ipſi ſeſe neve alij ipſos ignorent ; quibus ducibus uſi, quid

ſperare,

ſperare, quid timere videantur; quà ſe recipere ad Virtutem, qua contumaces obrui poſſint; quæ verba, quæ verbera, quæ præmia Virtuti, Vitijsque conveniant; ut deniq; quemque occurrere ſibi ipſi, agnoſcereque, objecto ſpeculo, ſpeciem ac regulam ſuæ vitæ poſſit & famæ. Forte pudebit eas partes diutius agere vel negligere in Scenâ hujus vitæ, quas ſibi quiſq; cognoſcet ex merito vel ex congruo contigiſſe in fabulâ. At vos, ſtudioſa ac pia Juventus, vidiſtis quos & audiſtis vel legiſtis quæ æmulemeni. Petit hoc à vobis exigitq; juſtiſſimis nominibus Sanctitas Chriſtianæ diſciplinæ tranſmiſſæque è cælo Legis integritas; ut quæ in veſtris animis *Concordiæ* ſemina (hodieque quâcunque nive candidiora effloreſcunt) caveatis etiam atque etiam ne iſtorum diſcordiâ pravorum civium afflata aliquando langueſcant. Virtutum veſtra & ſtudiorum Stadia, liberimo Cyclopædiæ & Religionis curriculo, ſub Britannicæ ſuæ Majeſtatis pluſquam Palladiæ tutelâ perfruuntur & tutamine. Nam de te, Georgi Rex Sereniſſime, cujus ego Majeſtatem ex hoc loco perſanctè veneror, nihil attinet dicere. Vidit is, qui tibi coronando, illuſtribus argumentis inter mortales fuit ac præfuit: Vidit, quid hâc tempeſtate opus eſſet, eo Rege Britanniæ, qui ſingulari Juſtitiâ provinciales urbanoſque Magiſtratus & cives in officio contineret; opportunâ Moderatione erumpentes bellorum faces extingueret, felici vigilantiâ populos ubertate rerum omnium exhilararet; inſigni religione hominum virtutem aulâ templiſque reciperet; Britannâ magnificentia Angliam Orbis terrarum æquilibrium amplificaret: Ut meritò, Regum maxime, (quod olim bonis Principibus acclamabatur) de Noſtris Annis augeri cupiamus annos tuos; ut ea quæ iſta altitudine animi meditaris in lucem continenter exponas, Chriſtianæ *Concordiæ* bono, & noſtrorum temporum felicitati; Ut à te, qui *Unus* par es theatrum ingenijs omnium, certum atq; etiam in hoc vario Concordiæ ſtudio, & diverſâ ſtudiorum Scenâ *munificum* expectare poſſimus judicium. At verò, in hac luce doctrinæ, in

hoc

hoc flore juventutis, apud vos, Auditores, omnis eruditionis genere præſtantes viros, quos hic intueor ſane plurimos, ſi veniam condonationemq; pro veſtrâ humanitate retulerimus, nos quidem operam hodiernam haud male poſuimus. Vos autem Juvenes Academici, veteris advocate Poeticæ, & *Concordiæ* amorem, numerorum & Artium integritatem, dictionis & ſtudiorum munditiem, carminis & Scientiarum Majeſtatem: Liberalium quidem Artium Diſciplinæ, (ut antè videre licuit) antiquitùs iſtæ ſeptem enumerabantur (*Grammatica, Muſica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Geometria* & *Aſtrologia*) at hodiernæ eruditionis ſubactiore calculo, ſeptenum Artium chorum Auguſtiore circumſcribunt Heptarchiâ & veraciore ducunt Majeſtate, Auguſtiſſima illa Diſciplinarum Nomina (*Philologia, Mathematica, Mechanica, Philoſophia, Juriſprudentia, Medicina* & *Theologia*) Adeoq; efficite, Auditores, ut ætati huic noſtræ, ob *Concordiam*, cum Regimine, Artibus & Scientijs, veſtro merito *reſtitutam*, omnis huic ſecutura poſteritas gratuletur. Poſtremùm apprecamur, Spectatores oculatiſſimi, ut quam Prudentiam ad res miniſtrandas publicas & privatas politicam & ſapientiam, Homericus Ulyſſes, multarum urbium mores videndo didicit, eam vos ijs, quas vetus Poeta Afranius facit, Prudentiæ cauſis, Memoria & Uſu, vel hujus loco, lectione, auditioneque & Concordiâ conſequamini. Atque inter hæc vota, liceat mihi per vos, Auditores lectiſſimi, reperto feliciter exitu (politiore ſcilicet, & omine potiore, quàm veteri formâ, Nemo *vos tenet*; nedum, *Ilicet*) conquieſcere. Cætera, quæ ex ijs, quæ ſuprà diximus, per ſe ſequuntur, reputanda vobis cum animis veſtris etiam atque etiam relinquimus; quàm multiplici rerum cognitione ad tam cæleſte Prudentiæ, Eruditionis, & *Concordiæ* faſtigium, hoc eſt, Auditores, ad debitum veſtro cujuſque Ordini locum pervenire debeatis, ut debitas vobis partes peragere cum applauſu, Valeatis.

FINIS.

The Grenville Library